RAMIRUM
SIVE
HISPANIAM AB INFAMI TRIBUTO
DIVINITUS LIBERATAM
CUM
MARIA ALOYSIA BORBONIA
PLAUDENTE HISPANIA
REGINA SALUTARETUR
CANEBAT
ONUPHRIUS PRAT DE SABA SAC. HISP.

FERRARIÆ
EX TYPOGRAPHIA FRANCISCI POMATELLI MDCCLXXXIX.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO

PElajum præeuntem ſequitur Ramirus. Duplici hoc Poemate, quantum perexiguæ ingenii vires patiebantur, proſecuti ſumus geminum totius Hiſpaniæ Patronum, utriusque beneficia canentes, quibus et ſtetit Gentis noſtræ Sceptrum; et eadem eſt ab turpiſſimi Tributi onere liberata. Utrumque conſecuta eſt Hiſpania cæleſti ope omnibus, noſtratibus ſcilicet, et Mauris maniſeſtiſſima; quo certius fieret, Hiſpaniam ſub Bmæ Virginis Patrocinio, ſubque præcipua M. Jacobi Apoſtoli protectione eſſe conſtitutam; ardentiusque inflammarentur noſtrates amore, ac religione erga Patronos ſuos, quorum beneficio ſingulari et præſentiſſima diſcrimina effugere, et libertatem, ditionisque ſummam ſunt amplitudinem conſecuti. Id ut ſperare certius poſſemus, curavimus, quæ genti noſtræ ſunt magis glorioſa, ea ſaltem innuere, ut ab eodem patrocinio profecta. Itaque cum in Pelajo pugnas innumerabiles, victorias prope incredibiles regum noſtrorum delibaverimus, quibus priſtina Hiſpanorum gloria militaris mirifice emicuit; et Maurorum omnis in terris noſtris dominatio extincta eſt; fecimus, ut in Ramiro appareret amplitudo ditio-

nis maxima, quam ſub iisdem Protectoribus, et Patronis Hiſpanienſes Reges ſnb utroque hemiſphærio conſecuti ſunt. Ex quibus omnibus, ſi rem litterariam excipias, oſtenditur aliquo modo quidquid eſt noſtratibus maxime glorioſum.

Qui, leviter etiam, in rebus hiſpanienſibus ſit verſatus, mirabitur fortaſſe, á me tribui Ramiro magnam extincti infamis tributi laudem, quam niſi majori, æquo ſaltem jure, et prius ſibi vendicaret Alphonſus: cum hic primus pactum iniquum, ac turpe tributum ſolvere recuſarit; conſiliumque ſuum ingenti Maurorum clade apud *Ledos* confirmarit. Hanc Alphonſo gloriam certiſſimam, et maximam nos ſæpe dedimus, eique merentiſſimo ſartam tectam volumus. At cum ex hiſtoriis diſcamus, poſt Alphonſi fatum auſum fuiſſe Cordubenſem Regem ab Succeſſore Ramiro pactum tributum poſtulare; idque poſt victoriam, quam perſequimur, minime contigiſſe animaduertamus; hac primum ratione inducti ſumus, ut ſub Ramiri potius, quam Alphonſi nomine triumphus iſte inſcriberetur.

Neque vero hac ſola ratione, quam arbitramur ſatis cuique eſſe futuram, id conſilii ſuſcepimus. Triumphos omnes noſtratum, etſi Protectoribus noſtris præcipue tribuendos exiſtimemus; tamen in hoc, quem memoramus, eſt quidquam præcipuum quod ceteris non

fuit commune. Mirabilis ſcilicet, omnibusque nota Apparitio, ex qua voluiſſe videtur Magnus Apoſtolus adſcribi ſibi, ſuæque pro noſtratibus protectioni extinctam omnem prorſus in perpetuum vel ipſam etiam infamis tributi umbram; cum in prœliis aliis inviſibili, ut ita dicam, auxilio hiſpanienſibus exercitibus victoriam tribuerit: in hoc autem non noſtris ſolum, ſed hoſtilibus etiam copiis ſeſe videndum præbuerit.

Ceterum geſtas res deſcribimus, ut ab Scriptore accipiebamus, qui nobis erat in promptu, externo illo quidem hiſtorico, ſed quem minus vidimus partium ſtudio rapi, aut gentis ſuæ præjudicatis opinionibus. Quoties enim id poſſe accidere ſuſpicati ſumus, alios fontes adivimus. Neque fuimus in notanda *chronologia* valde ſoliciti, quam etſi magnifaciendam ſemper duxerimus, inextricabilibus tamen nodis implicata cum ſit, negotium nobis dediſſet moleſtiſſimum, et nullius fortaſſe utilitatis; quis enim ab Carmina ſcribentibus accuratam *chronologiam* aut exquirit, aut etiam ſperat. Sed neque quidquam negotii faceſſunt Criticorum quorundam rationes, quibus antiquam hiſtoriam ad fabulas amandare conantur irrito ſane conatu, noſtra ſententia; cum hoc in negotio argumentum ab ſilentio deſumptum infirmiſſimi roboris ſit adverſus rem per tot ſæcula omnium prope hiſtoricorum teſtimonio comproba-

tam; quamque et plurimorum Regum corroboravit auctoritas, et Pontificia Poteſtas ſummis eſt, præcipuisque gratiis, ac privilegiis proſecuta.

Hæc præmonere opportunum duximus; non ita vero neceſſarium precari, ut laborem hunc qualemcumque noſtrum multa benignitate, atque indulgentia indigentem, in bonampartem Lector accipiat; cum ipſe id ſit ſponte daturus humanitati ſuæ, ac benevolo animo, quod alias precibus omnibus extorquere fruſtra conaremur.

Digitized by Google

LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM.

Northmannos contra borealia littora flammis
Urere conantes Princeps ab Rege Ramiro
Delectus, Claſſes hoſtiles arcet ab oris
Chriſtiadum, ingenti multatas clade. Jacobo
Dignas dum grates perſolvit; magna parari
Fata ſibi diſcit. Mauris abolere Tributum
Turpiter oblatum ferro, belloque jubetur;
Et ſperare ſuo plenos ex hoſte triumphos.

HEſperidum Reges in fædera ſacra coactos,
Virgineumque Lupis ereptum immanibus Agmen
Invicto ſub Rege canam. Tu rebus in arctis
Addita Chriſtiadis noſtris ſpes altera, Jacob,
Terrifici tonitru Sobolem quem nomine dixit,
Nomina qui rebus ſolus, res dicere noſcit
Nominibus quaſcumque ſuis; Tu fulminis æſtus
Divinos affla vati: ſine, munera cantu
Mæonio celebrare, quibus præ gentibus unos
Omnibus Hiſpanos vivens ſermone beaſti,

Exuviisque ſacris moriens. Tibi credita regna
Quanta per Europæ tractus, Aſiæque, feræque
Arentes Africæ terras ſubduntur Ibero;
Quanta America tuis, priſcis incognita ſæclis,
Auſpiciis junxit ſceptris ditiſſima ſceptra.
Tu populis columen firmum; Tu dictus Iberis
Rerum certa ſalus, decus, et tutamen in armis,
Quæ ſine Te nullis capimus victricia pugnis. (a)
Nunc cæptis, Regina, meis, Aloysia, vultu
Annue, quo populos recreas, quo credita regna
Fauſta jubes ſperare. Preces ſic Patris ad aures
Deferat æterni noſtras, qui præſidet oris
Heſperiis Proles Zebedeia, votaque firmos
Queis Gnatos petimus plures Tibi, pectora Magnum
Quæ

(*a*) *Hiſpanienſium Regnorum omnium Patronum, ut vocant, ſive Protectorem Jacobum, Apoſtolum*, Majorem *appellatum, ab illo tempore habitum, cultumque accepimus, in quo prælium confectum eſt, quod toto hocce argumento proſequimur. Ab eodem etiam exordium mos ille ſuſcepiſſe dicitur noſtris exercitibus ſolemnis, ut numquam prælium ineant, niſi implorato prius Magni Jacobi Apoſtoli patrocinio, noto illo Verſiculo, quo ab eo petitur, ut Hiſpaniam univerſam hoſtibus occludat.*

Quæ Carolum, quæ Te referant, ſerique nepotes
Eſſe putent exempla ſibi, ſæclisque futuris.
Adſis, o Regina; potes; Latiasque Camænas,
Quas noſti verſare manu Virguncula, vati
Inſpira pavido; majoraque viribus auſum
Dirige in optatam metam. Sic carmina tanto
Digna argumento ſint, et, Te judice, digna.
Northmanni, bello gens dura, atque aſpera cultu, (b)
Lin-

(*b*) *Scimus has res in Northmannos geſtas Ramiri jam Regis fuiſſe; nobis autem ad rem noſtram accommodatius eſt viſum, easdem hoc loci referre. Northmannos autem Danici generis fuiſſe ferunt, atque ab Scania profectos, qui imperante Carolo Magno borealem Galliæ oram populabundi navigare, Friſonum, et Scotorum infeſtare littora inſtituerunt. Ægre quidem Carolo, ac Ludovico ejus ſucceſſore imperantibus, piraticam in finibus Imperii exercebant; cum oræ illæ omnes firmiſſimis præſidiis munirentur. His vero Imperatoribus fato functis, cum Civilibus motibus totum Imperium quateretur; prædones opportunam occaſionem nacti, oræ maritimæ direptione, ac vaſtatione non contenti; novas, ordinatasque in interiora regni expeditiones ſuſceperunt. Depopulati cædibus, atque incendiis ſunt Oppida; ingen-*
tes

Linquentes terras ſteriles, monteſque rigentes
Frigoribus, ſeptem ſubjecta trionibus arva
Qualia dura pati coguntur tempore brumæ,
Inſtruxere acies, longis poſuere carinis
Undique collectam pubem, cui vivere rapto
Lex erat, incautas urbes, vicinaque ponto
Oppida prædari, flammis exurere tecta
Contra obſiſtentum; demittere corpora letho
Crudeli, ſpoliiſque graves, auroque potitos,
Argento, gemmis quotquot capta Oppida ferrent,
Con-

---

tes ubique prædas egerunt. Diripuerunt Turonos, Namnetas; Cenomanos usque immanem crudelitatem produxerunt: nec Pariſiis pepercerunt, cujus urbis complures ſuburbanas eccleſias flammis devoverunt. Civili autem inter eos, ritu latronum, exorto bello, quo præter innumerabile vulgus, omnis prope eorum nobilitas eſt extincta, ab ſurgentibus adverſus eos Aquitanis tanta clade affecti ſunt, ut innumerabilis prope exercitus ad paucos admodum redactus fuerit. Brevi tamen, novo gentium ſuarum delectu, atque adventu aucti, corroboratique, Borealem Hiſpanienſem oram maritimam, quæ eo temporis Hiſpano-Chriſtiani juris erat, populari ferro, flammiſque aggreſſi ſunt.

Convectare domum prædam, rurſuſque per altum
Ire leves, ſtragesque novis inferre rapinis.
Francica jamque acies borealia littora flammis
Vaſtarat, ferroque ferox; et civibus urbes,
Et rebus cives ſpoliarat, Sequana quantas
Dives alit, quantasque Liger præterfluit undis
Cæruleis, vario findit vel flumine Carus;
Cum nondum ſpoliis contenta, et divite præda
In mare Cantabricum curſu petit. Oppida credens
Exundare auro, gemmarum et pondere multo,
Diſperſas gentis claſſes, juvenumque catervas
Convocat Haſtingus ductor, pinguisque futuræ
Spe prædæ, duros animos accendit in omnem
Barbariem, jungens iras, odiumque furori.
Convenere omnes prædones: mille carinas
Centum armatorum complerunt millia. Juſſi
Obvertunt pelago proras, portusque relinquunt,
Gallica et immiſſis ardentia littora flammis.
Conſidunt tranſtris juvenes, atque æquore aperto
Intenti imperium expectant. Vix regia puppis
Extulit, et malo ſignum ſuſpendit ab alto
Undatim fluitans, et verſicoloribus omnes
Certatim ſurgunt remis, et marmora findunt;
Heſperidumque petunt borealia littora curſu.
Sed jam fama mali tanti, certusque minantis
Nun-

Nuntius exitii vigiles penetrarat ad aures
Magnanimi Alphonſi; Rex et clariſſimus armis
Ire jubet contra prædonum dura Ramirum (langas,
Agmina, datque duci peditumque, equitumque pha-)
Succintos pharetra, gladiisque minacibus, haſtis
Armatis lato ferro: detrudere longe
Hoſtilem claſſem boreali ab littore, terra
Infandos prohibere viros, atque oppida firmis
Præſidiis ornare jubet contermina ponto.
Omnis in invicto Regis ſtat cura Ramiro.
Novimus hunc genitum Froilà de Principe, Regem
Qui Froilam patrem referebat, cuique parentes
Alphonſus Princeps, et magno nata Pelajo
Hermeſenda fuit, Regis ſic usque Ramirum (c)
Sanguis iit, Regis Clari, nutantia ſolus
Suſtinuit qui ſceptra manu, caſuque ſupremo
Servavit regnum; magno acceptusque Ramiro
Regibus in noſtris etiam vivitque, vigetque.
Ergo alacris turmas Ductor Legionis ab agris
In montana vocans, vicinaque littora terris
Gal-

(c) *Quid in hac Genealogia adeo implexa, et controverſa texenda adverſus noſtrates veteres, exterosque cenſeamus, diximus in Pelajo lib. I. not. B.*

Gallorum; munit late loca; portubus, oris
Littoreis, facilis claſſis deſcendere poſſet
In quas adveniens, adjungit milite multo
Experto belli turmas, aciesque colonùm
Undique collectas: urbanis agmina jungit
Monticolùm, duros et telis armat agreſtes.
Inſtructos armis vigiles noctesque, diesque
In ſpeculis adſtare jubet, navemque propinquam
Littoreis oris ut quis proſpexerit; alte,
Si nox incumbat, ſublatis ignibus, illud
Excubiis ſignet; ſi lux affulserit, atrum
Intendat cornu ſonitum, cui conſonet omnis
Excita per littns juvenum manus: arceat oris
Appulerit quæcumque, ratem. Sic rite paratis
Omnibus, ab primis Gallorum finibus usque
Occidui ad ponti fluctus vaſtiſſima firmis
Littora præſidiis munit. Fortiſſimus ipſe
Vectus equo fertur celſi ſuper ardua montis,
Proſpectum et late pelago petit, hoſtica ſiqua
Apparet longe claſſis, fallaxve triremis.
Jamque dies, alterque dies proceſſerat, alto
Cum tandem ab ſcopulo cernit Cantabrica contra
Littora velivolas Aquitano ab gurgite naves
Innumeras ferri. Sociis ſimul imperat, arma
Edicant, capere arma viris, portusque propinquos,
Ur-

Urbes, et vicos, et littora tota tueri;
Ac deſcendentes detrudere finibus hoſtes,
Si quæ forte rates tentent ſuccedere terris.
Convenere viri. Sortitus quisque locumque
Inſidiis aptum fuerat; civesqne viciſſim
Alta Sebaſtiani ſervabant mænia Fani,
Impoſitis portu tormentis, grandia poſſent
Contorquere quibus ſaxorum pondera in hoſtes;
Cum procul hoſtilis claſſis convertere proras
In portum viſa eſt; remis, ventisque vocatis
Tendere in optatum littus; quantumque tuentum
Obſervare oculi poſſunt ſuper æquoris undas,
Claſſibus adlabi tantum, obducique videtur.
Et jam prima tenet claſſis, quæ proxima terris,
Littora, vicini tentans capere oſtia portus.
Protinus expediunt prædones arma; rudentes,
Vela legunt alii; curvo ſed et anchora morſu
In promptu eſt aliis, jactare in littora pontes
Aſt aliis tempus ſuadet: cum lecta juventus
Tandem ex inſidiis arrepto tempore ſurgit,
Invaditque rates. Oras cinxere corona
Haſtati denſa, ſi quos furor, iraque nantes
Impulerit capere ante ſolum, quam claſſis in amplum
Se immittat portum. Mox, queis eſt machina curæ,
Omnes ſe accingunt operæ. Jactantur in auras

Aſſi-

Aſſiduo ſtudio ſaxoſi fragmina montis
Plurima, præcipiti quæ pondere lapſa, reſolvunt
Demerguntque rates nunc has, nunc fluctibus illas,
Exponuntque viros, medioque in gurgite linquunt.
Parte alia longe majus, certumque minatur
Omnibus exitium ratibus. Tormenta pararant
Plurima per colles, vicinaque littora portùs
Ærea, ſed parvis tormenta ſimillima cupris, (d)
Nunc

(*d*) *Epuidem tormentorum igneorum uſum apud noſtrates prius, quam apud exteras nationes viguiſſe, memoriæ traditum legimus; cum tormentis iſtis Angli, qui inter primos referuntur, in Grecyenſi prælio tunc primum uſi ſint; noſtrates vero quadriennio ante ſub Alphonſo* XI. *in Algezirenſi obſidione. Hæc autem tormenta ea non ſunt, quæ Ramiro uſui fuiſſe poeticè ſcribimus, cum ignes, quos* Græcos *dicimus contra hoſtes adhibuiſſe eundem affirmamus. Ignes iſti inventi dicuntur an. Chriſti* 660. *ſub Conſtantino Pogonate ab Callinico Heliopolenſi; qui Sarracenorum claſſem triginta armatorum millia continentem penitus hoc incendio abſumpſit; cum nondum apparuiſſet qua ratione extingui flammæ poſſent, quæ ab Marinis aquis vires caperent validiores. Inventa ab Gallis hac ratione, et invaleſcente novo pyrii pulveris in*

tormen-

Nunc quibus æratos globulos, gravidosque ſurenti
Igne ſolent noſtri nitrato pulvere in urbes
Conjicere hoſtiles; quando obſidione gravati
Sternere tecta volunt, flammisque accendere certant.
Hæc tunc Hiſpanis Northmannos machina contra
Auxilio, certæque fuit fiducia fortis.
Namque his tormentis diverſa in parte locatis,
Aſſiduis curis ſubito torquere per auras
Incipiunt globulos prægnantes ſulphure, nitro
Plurimo, et, arte nova, lento igne bitumine cocto.
Qui rapido accenſi curſu, crepituque tonitru
Horrendo ſimili, flammarum ab nubibus imbrem
In naves fundunt. Unctis Vulcanus adhæret
Poſtibus, et trabibus multa pice: nulla vel ignem,
Ut ſemel incubuit lignis, reſtinguere virtus,
Ars et nulla valet: mediis in fluctibus ardet
Flamma vorax; ut molle Xylon humore ſuperbit
Palladio, cera vel cum concluditur alba.
  Hos *Grajos ignes* veteres dixere: repertor
Callinicus ſolis veniens ex urbe, ſagaci
Ingenioque potens; cum Conſtantinus acerba
Bella

tormentis bellicis uſu, obſolevere, tu minus utiles, Græci Ignes.

Bella Saracenis inferret, cingeret urbem
Marte Propontiacis hærentem Cyzicon oris,
Dicitur his flammis naves uſiſſe coruſcis.
Ignibus his, tortis ſaxisque immanibus acer
Territus Haſtingus, plures cum gurgite naves
Continuo hauriri, flammis et cerneret has nunc,
Nunc illas ardere novis, peſtemque furentem
Latius extendi: nulli indulgere quieti
Hoſtes; aſſiduum ſaxis, atque ignibus imbrem
Ingruere, et toti minitari incendia claſſi;
Alta jubet teneant omnes, fugiantque nocentis
Littora telluris; tum portus oſtia ſævi;
Secerni naves ſeſe inter marmore quantum
Sufficiat, ne dira lues huc usque carinas
Corripiat ſalvas, ſævo infeſtetque veneno.
Biſcentum periere rates: pars maxima flammis
Abſumpta eſt: rapidis ſcopulis pars altera preſſa,
Et ſubmerſa mari eſt, malis vel pondere fractis,
Seu tranſtris, proris, ſeu puppibus abiete pictis,
Ludibrium ventis tumidis transfertur ab undis.
Admonitus clade ab tanta, deſiſtere cæptis
Haſtingus potuiſſet atrox; ſed dedita prædis
Gens, aciesque virum firma jam ſede carentum
Quærere coguntur, ſpolient quas fructibus, oras.
Tum procul ab portu, vicino et littore portus

Explorant, ſaxis quaſſas ubi pluribas omnes
Reſtaurare rates valeant, ægrisque mederi
Corporibus, quibus ignis edax, vel ſaxeus imber
Artus contudit, validum rapuitque vigorem.
At quaſcumque petunt oras, ab milite multo
Armato captas cernunt; abſiſtere terris
Vis illata jubet; remis, ventisque feruntur
Nunc hos in portus, conſpeƈtaque mænia ab undis;
Omnia ſed cernunt firma ſtatione teneri,
Et vigilum excubias ſervari noƈte, dieque.
Nam celeres curſu montanos optimus armis
Legerat, hos hoſtes procul obſervare Ramirus,
Et quocumque rates vertiſſent roſtra, jubebat
Protinus armatas illuc concurrere turbas,
Adſcitas rauco ſonitu per cornua miſſo.
Quæ dum ſoliciti noſtri mandata ſequuntur,
Et vigiles adſunt, quocumque appellere poſſunt
Hoſtes; Northmanni fraƈti borealia curſu
Littora prætereunt, et terræ finibus aƈtis,
Æquora Luſorum ſubeunt, quæ ſubdita Mauris (e)
Cla-

(e) *Luſitaniæ oram Maritimam primum; deinde inter Africam, et Hiſpaniam per Gaditanum fretum circumvecti, auſtrales omnes oras noſtras, ob Arabum ſegnitiem,*

Cladibus infeſtant; portus, atque oppida paſſim
Diripiunt; arcti ſubeuntes oſtia ponti
Herculei, auſtrales vaſtant crudelius oras
Heſperias; ſtragemque ferunt, diramque ruinam,
Oppoſitus contra nullos audentibus Afris
Objectare, moras ſævo vel ferre furori.
  Interea hoſtilem vicino ab littore claſſem
Pone ſecutus ovans, et firmo corde Ramirus,
Venerat Athlantis confinia littora ponti;
Cum pius, intacta pro libertate ſuorum,
Proque ſuis, tanto ſalvis diſcrimine, rebus,
Solvere vota Deo, Divis et reddere grates
Auſpicibus tantorum operum, Magnæque Parenti
Conſtituit, ſacris cumulans altaria donis.
  Oris Gallæcum, fluvios Tambram inter et Ullam
Planitie ridente jacet Brigantia, noſtris
Sic dicta eſt atavis, urbem dixere minores
Nunc Compoſtellam. Primi quis nominis auctor,
Et fama celebris fuerit quis conditor urbis,

tiem, miſerandum in modum depopulati ſunt. Nec minus crudeliter in Auſtrales Gallos ſævierunt, furoriſque ſui incendium Piſas uſque in Italiam, improviſa excurſione facta, protulerunt.

Incertum, longis res eſt obſcurior annis.
Hanc Urbem ſacris rebus, magnaque verendus
Relligione colens Præſul pietate regebat,
Doctrina inſignis multa: ſed clarior orbi
Moribus egregiis, vigilanti ante omnia cura,
Qua ſibi commiſſos populos noctesque, diesque
Inſtruere, exemplis poſitis virtutis ad omne
Compellare decus ſolitus, Paſtoris et inſtar
Inſomnis, precibus cæleſtia tecta fatigans
Pro populo, in templo longas producere noctes.
Cumque preces quondam flammato corde ſupremum
Funderet ante Patrem, lacrymisque rogaret obortis
Auxilium Hiſpanis populis, quos triſte premebat
Imperium dudum Maurorum; turpibus et quod
Moribus antiquum turparat gentis honeſti
Ingenium cupidum, ſacras fædarat et aras.
Ante oculos lucere faces juſto ordine ſex hinc
Atque illinc totidem ſecreta in parte facelli,
Et fulgens alto ſydus deſcendere cælo
Attonitus vidit. Dubius dumque hæret, et anceps
Viderit, an vidiſſe putet; vel imagine dulci
Ludat amor populi, donique cupido petiti;
Multa movens animo fundebat vota, repoſcens
Quid portenta ferant; cum vox pervenit ad aures:
Ne dubites, nam vera vides, Antiſtes, in iſto

Exuvias-

Exuviasque latere loco, Corpusque Jacobi
Lumina clara ferunt: his te Pater Optimus ignis (f)
Ad-

(f) Delatum ab Hieroſolymis in Hiſpaniam Jacobi Majoris Corpus adeo conſtans, et firma traditio eſt, ut hæc inter præcipuas, firmioresque recenſeri jure debeat; neque tradita hæc veritas verti in dubium absque inſigni temeritate poſſit. Conſtitere diſcipuli illud deferentes apud Iriam Flaviam, quam urbem vetuſtiſſimam novo noſtrates nomine vocant Padron; *inde ſacras exuvias in urbem compoſtellanam ſexdecim circiter milliaribus diſſitam tranſtulerunt, ut Eccleſia Hiſpanienſis quotannis commemorat die trigeſima Decembris, Eo loci abſconditus theſaurus delituit ad regnum usque Alphonſi Secundi Legionenſis Regis, qui* Caſtus *eſt nominatus, quique ædes eidem Apoſtolo magnificentiſſimas extruxit, extructasque regia munificentia locupletavit. Ab eo tempore beneficentiſſimum ſeſe Jacobus erga Hiſpanienſes oſtendere cæpit; et noſtrates crebris, maximisque beneficiis affecti, præcipua religione, donis, precibus, inſtitutis peregrinationibus ſepulchrum illius colere, venerari ſacras exuvias incæperunt: quæ pietas, et religio deinde non Luſitanis modo propinquis, et Gallis omnibus, ſed exteris etiam aliis totius Europæ nationibus communis adeo facta eſt*

 ut

Admonitum flammis voluit. Tellure repoſtum
Theſaurum effodies. Invictum ſed tamen ante
Ad-

---

ut nulla Chriſtiana gens ſit, etiam remotiſſima, ex qua plurimi Compoſtellanam peregrinationem non ſuſceperint: quæ acceptis ab Magno Apoſtolo beneficiis, cum in dies adoleſceret, et plurimis Pontificiis gratiis, ac privilegiis cumularetur; factum eſt, ut poſt Hieroſolymitanam, et Romanam ad Apoſtolorum Limina, primum ipſa locum obtineret. Hinc cum maxima Hiſpaniarum pars etiam Sarracenorum dominatione opprimeretur; ſuſceptas legimus Compoſtellanas peregrinationes ab viris exteris nobilitate generis, vitæ ſanctitate clariſſimis, quos inter divos relatos ſuprema Eccleſiaſtica auctoritate, et poteſtate veneramur, quorum ſyllabum ne exhibeamus et ipſa multitudo probibet, et quod res ſit, quæ in eorum rebus geſtis memoriæ poſterorum mandatis paſſim occurrat.

Inter multa privilegia illud eſt ſingulare, ac memorandum; annus ſcilicet Jubilæi, quem Compoſtellana Eccleſia ex Pontificum conceſſione celebrat, quoties Apoſtoli noſtri feſtus dies in Dominicam diem inciderit. Quo anno toto aſſiduus eſt noſtratum, exterarumque gentium in eam Urbem concurſus, cum ſingulis diebus iiſdem frui gratiis quisque poſſit, quæ Romæ anno Jubilæi concedi ſo-

Adſciſces Alphonſum Regem. Præſide Rege
Laude pudicitiæ celebri, ſacra oſſa pateſcent.
His monitus Præſul ſuperos de more precatus,
Ut pia Chriſtiadum populorum vota ſecundent;
Qui Alphonſnm certum faciat præmittit, et omnem
Exponat facti ſeriem, ſupplexque precetur
Annuat ut votis urbis, cæloque vocanti.
Interea ſacro ex cætu bis quinque legebat
Eximios virtute viros, totidemque veiendos
Ex patriæ Patribus, tuto circundare vallo

Impe-

ſolent. Eodem anno Hiſpanienſes Reges delectos tres præcipuos Viros, plerumque Epiſcopos ad Apoſtoli Patroni Limina legant, qui Regis, Reginæ, totiusque regiæ familiæ nomine dona, ac munera ingenti, religioſaque pompa offerant. Quæ omnia longo ſæculorum curriculo, multis, maximisque Apoſtoli prodigiis, portentisque etiam hac ætate noſtra ante oculos omnium expoſitis, in eo præcipue littore, quod eſt ante Sacrarium B. Mariæ Virginis della Barca *nobis dictæ, eam, mea quidem ſententia, certitudinem efficiunt, quam majorem non redderet ſolus ipſe ſacrarum exuviarum conſpectus; quem qui increduli eſſe, vel haberi certe amant, multis, more ſuo, cavillis impeterent, priusquam ab incredulitate dejicerentur.*

Digitized by Google

Imperat his, duro fodiendam vomere terram.
Cuſtodire dein vallum noctuqu, diuque
Contra omnes caſus armato milite multo.
Aſt aliis ſacra cura datur, quæ proxima Divi
Exuviis, quam ſacra petunt altaria, libris
Quæque notanda manu faſtorum rite fideli.
Tum populis ſacras ædes, ac Templa jubebat
Viſere devoto gradientes ordine, Divum
Voce ſequi laudes, precibusque expoſcere firmum
Auxilium. Procerum multis comitatus in urbem
Venerat interea Caſtus Rex; prompta que poſtquam
Cuncta videt, terram primus ſcindebat acuto
Ipſe ligone, gravis gemmis cui plurima buris
Auro intertextis fulgebat, et aurea pala.
Protinus incæptum proceres fervore ſecundo
Aggrediuntur opus, quo non deſiſtere, ſortem
Cedere non aliis ſtatuunt, per corpora quamvis
Sudor eat; donec ventum eſt ad fornicis orbem
Marmorei, ſacras ſub quo latitare, tegique
Exuvias Præſul credit. Vigilantius ergo
Marmoris effodiunt arcum tali arte valentes,
Expediuntqoe locum. Lata ut patefacta feneſtra
Afflari divinus odor, diffundier amplo
Et viſus templo eſt: claro tum lumine fulgor
Illuſtrat late cameram. Deſcendit in imum

Rex

Rex prior , inde gravi Præſul pietate verendus;
Poſt alii ſacri cætus , cætusque profani ,
Delecti numero ex omni . Tres ordine cernunt
Marmoreas arcas, quarum quæ maxima ſedem
Inter utramque tenet. Reſeratur utrumque ſepulchrum
Haud longis operum curis, grandive labore:
Inventumque notis, fuſco requieſcere ſacras
Exuvias illo ſub marmore, et oſſa duorum
Diſcipulum, ab Solymis quondam qui membra Jacobi,
Et laceros artus medio intus marmore clauſos
Vaſta per interni vexerunt æquora ponti,
Herculeoque freto ſuperato, finibus ipſis
Telluris, monitu ſuperum conſiſtere juſſi,
Illo reliquias parvo poſuere ſacello,
Heſperiis populis pignus, certique futuras
Auxilii teſtes, gentes quo Magnus Iberas
Proteget, et toto producet in orbe Jacobus.
Alphonſi Imperio *Caſti*, ac pietate ſuperbum,
Quod vetus excepit gremio, de marmore templum,
Inque Crucis formam nuper ſurrexerat; Orbi
Auguſtum Templum toti, doniſque Jacobi
Chriſtiadis poſthac cunctis venerabile terris;
Quodque petunt, quo dona ferunt ſua plura quotannis,
Suppliciterque colunt longinqua ab gente frequentes
Advecti populi plures terraque, marique,

Nec

Nec veniſſe piget, tantoque labore gravantur.
Pulſis Northmannis, huc ſe fortiſſimus Heros
Vota ſoluturus tunc contulit ante Ramirus,
Quam Regem, quo ſumma loco res tota, moneret.
Ingreditur Templum fidis comitatus amicis,
Quos eadem pietas urget; rectaque feruntur
Corpus ubi Magni jacet, exuviæque Jacobi.
Acceſſit, ſacrasque manu, flexoque verendas
Poplite contingens aras; Tibi, Magne, fatemur,
Magne Pater, dixit, deberi, vicimus hoſtes,
Oppida ſi ſævis defendimus ignibus, arma
Si procul ab noſtris avertimus impia terris,
Intulimusque gravem cladem ratibusque, virisque
Pluribus immerſis immenſo gurgite ponti.
Tu menti vincendi artes, viresque dediſti
Pectoribus firmas; direxti ſolus in hoſtes
Ingentes ſcopulos, gravidas et morte favillas.
Pro tanto auxilio grates, quas poſſumus, omnes
Solvimus, et læti, ſi fas, appendimus aris
Corda tuis, mentes, animos, et quidquid ubique eſt
Heſperiæ gentis, ſeu libertate fruatur,
Sive gemat dura Mauri ditione, jubeto
Eſſe tuum, magno Te Protectore regatur.
Vix hæc ediderat ferventi ex corde Ramirus;
Cum ſubito circum tremere omnia viſa repente,
Sub

Sub pedibusque ſolum mugire. Timore ſubacti
Diffugere alii; ſed non fortiſſimus Heros;
Conſtitit, atque imo venientia verba ſepulchro
Accepit ſolus. Defendi regna, tegamque
Auſpiciis hiſpana meis, mihi credita Virgo
Quæ dudum Genitrix voluit: nec pauca daturum
Spero Patrem precibus noſtris, votisque meorum.
Res hiſpana loco quo nunc ſit ſumma, quibuſue
Urgetur fatis, jactetur turbine quanto
Heſperiæ potior pars, et felicior arvis,
Nil moror, exanimet nec te conſpectus acerbæ,
Et miſeræ ſortis, qua nunc torquetur. In altum
Evaſura gradum fortunæ Hiſpania, damnis
Debuit his primum tentari ingentibus; hæc ſunt
Inſolitæ pignus ſortis, fundamina fatis
Supponenda manent noſtris quæ plurima regnis.
Nonne vides quantum turris telluris ad imum
Deprimitur gremium, ſuperas tollenda ſub auras?
Non niſi præjactis imis radicibus altum
Arboreum genus omne ſuper caput exulit arvis
Ardua Cupreſſus, redolens abieſve ſuperbis
Montibus. Hanc legem rebus Pater Optimus olim
Indidit humanis; hoc nos regit ordine; trudit,
Demittitque viros, conſtans quos tollet in altum
Adveniens fortuna locum. Sic ludit in orbe

Ex-

Digitized by Google

Exaltans humiles, turbans de ſede potentes.
Carceris ab tenebris Joſeph; Pharaonis ab aula
Eligitur Moyſes exul; timido ex grege parvum
Extulit ad regni culmen, ſceptrumque Davidem.
  Ipſe ego qui miſeris adſum modo rebus, et hoſtes
Inter et arma viros, et regnum protego Mauros
Cladibus affligam crebris; nomenque Jacobi
Audiet omnis Arabs exterritus; omnis Iberus,
Audito ſumet validas hoc nomine vires
Hoſtes contra omnes. Fida hæc tu mente teneto
Rebus in adverſis; circum cum cingier armis
Videris innumeris Arabum tua ſceptra, tuumque
Marte peti regnum. Neſcis? Poſt fatà Pudici
Alphonſi regno primus potieris Ibero.
Namque tibi moriens populi concedet habenas,
Præterito virtute viro, magnisque nepote
Bernardo bellis invicto, maximus armis
Alphonſus, miro populi pertractus amore,
Præque ferens patriam juveni, nutrivit in aula
Quem patriis curis, et quem virtute ſecundum
Nulli majorum plures ex hoſte triumphi
Ornarunt, meritis cingit fama inclita lauris.
  Cum Te jam populi regali ſede ſedentem
Agnorint regem, tactis altaribus, omnem
Iurarintque fidem; dictis pârere paratos

Se,

Se, promptosqne tuis bello, vel pace futuros;
Vectigal Mauris ſolvas ne turpe caveto,
Quamvis increpitent proceres, et bella minentur
Undique collectis turmis horrentia Mauri.
Ipſe adero, Mauriſque fugam, trepidumque timorem
Immittam, viresque tuis, animosque miniſtrans.
Hoſtibus aſt fractis bello, mihi victor honorem
Perſolves. Turpis pro libertate tributi (g)
Parvam frumenti menſuram quemque quotannis
Solvere conſtitues, ſeriſque nepotibus hæc lex,
Hoc ſit decretum, noſtri ſignumque perenne
Præſidii, æternum ſpes et confirmet in ævum.
His

(g) *Equidem poſt relatam victoriam Ramirus Rex vectigalem fecit Hiſpaniam ſuam Magno Jacobo Apoſtolo, quem gentis univerſæ Patronum dixit, ſeque, poſterosque ſuos in conventu maximo Procerum, Epiſcoporum, regnique totius ad tributum quotannis ſolvendum adſtrinxit; certam ſcilicet frumenti, vinique menſuram pro ſingulis terræ jugeris; quod tributum Pontificiis, ac Regiis decretis confirmatum; atque aliis deinde Hiſpanienſibus regionibus, quæ eo temporis ſub Ramiro non erant, ſolemne factum, hac etiam ætate noſtra, primitiarum more, religioſe perſolvitur.*

His tacuit dictis. Accepit mente Ramirus
Attonita Princeps tantarum oracula rerum;
Nec dubius ſtatuit dictis parere Jacobi,
Cujus et auxiliis ſeque, et ſua cuncta reponit.
Digreditur veteri templo, ſocioſque reviſit,
Quos metus huc pavidos, et nunc conſtrinxerat illuc
Quærere perfugium, tremeret cum concita tellus.
Hi quamvis oculis flammantibus, ore Ramirum,
Accenſoque vident vultu, perquirere cauſas
Sive moræ longæ, inſoliti ſeu fronte ruboris
Non audent, ſtimulet quamvis ſtudioſa cupido
Pectora; namque nova vultus gravitate, novaque
Majeſtate viri dulci ratione morantur.
Inde viam carpit ducibus comitatus in urbem
Quæ Legionenſem lato fert tramite: tecta
Regia victor adit. Rex et longævus in amplis
Illi porticibus læto venit obvius ore,
Amplexuque tenet charo, ori dulcia figens
Oſcula, compellat gnatum, dextraque prehenſum,
Lætus in interni ducit penetralia tecti;
Et belli caſus audit, populique ſalutem
Servatam, pendetque loquentis ab ore Ramiri.

FINIS LIBRI PRIMI.

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

Confines contra Mauros, nova bella moventes
Dum victor pugnat Princeps, Alphonſus eundem
Concilio in magno Procerum declarat Iberi
Hæredem Regni. Contra ſed ſuſcitat audax
Arma Nepos. Ferro Mauris ad jura redactis,
Vertit in obſtantem Princeps ſua caſtra Nepotem;
Et pugna captum liventi lumine privans;
Victrices acies ducit Legionis in Urbem.

JAmque ſemel plenum compleat Cynthia curſum
Ex quo, propulſa boreali ab littore claſſe
Hoſtili, corpus curabat in urbe Ramirus
Principe totius regni, Regemque juvabat
Longævum curis; effætæ et tædia vitæ
Geſtarum crebro rerum ſermone levabat;
Prælia commemorans, quæ Rex melioribus annis
Geſſerat; et Mauris quærens quanta oppida bello
Abſtulerit; quantas acies demiſerit orco?

Perfidiæ ut dederit pænas Mahometus, amici (a)
Immemor officii, poſtquam crudelia movit
In Regem de ſe meritum bene caſtra; propinquas
Maurorum turmas inque hoſpita regna vocavit?
Quæ regni rebus ratio percommoda? quodnam
Utile Victorem, tot captis urbibus olim

Im-

(a) Hic Maurorum ductor Cordubenſi Regi ſuo rebellis receperat ſeſe in Alphonſi Regnum cum copiis illis, quæ Regem, quam ducem ſuum deſerere maluerunt. Exceptus benigne fuerat ab Alphonſo, a quo prædiis erat donatus, et reditibus, quibus ſe, ſuoſque uberrime alere in Gallæciæ regno poterat. At ingratus, et perfidus in priſtinam cum ſuis gratiam redire cupiens; clam cum Sarracenis agere cæpit, et fædus cum iisdem iniit, quo ex fædere interna ipſe Gallæciæ oppida occuparet, dum illi in regni finibus comparato ingenti exercitu, terrorem populis, ſtragemque incuterent. Extulit profecto Mahometus perfidiæ, bellique inteſtini vexillum, collatis ſociorum ſuorum ſignis; at Alphonſus mira celeritate in eum copias cum duxiſſet ſuas; reluctantem coegit ad prælium. Pugnatum eſt apud Lucum Auguſti totis utrimque viribus, cæſiſque quinque Arabum millibus cum ipſo Mahometo, inſignem Alphonſus victoriam reportavit

Impulerit vires Regni partirier omnes,
Et captis bello populis præponere tanto
Jure Duces, quorum vires, et magna poteſtas
Poſſet in immenſum tandem conſurgere regnum?
Nunc quærens quæ fata puer, caſusque tuliſſet (b)
Sceptra prius juvenis caperet quam patria? quantus
Aurelius bello fuerit? Monitiſne ſororis
Aurelii Silo conjux arceſſerit illum
In partem ſceptri? Tulerit quo pectore parte hac
Artibus illius ſpoliari turpibus inde
Infamis Mauregati, cui cedere ſedem
Maurorum fulto turmis, armisque coactus,
In ſua ſe rurſus cantabrica regna recepit?
Quis ſacro ab cætu Veremundum in tecta vocavit
Regia? quis regni, rerumque deinde potito
Traderet hæredi ut juſto diadema ſuaſit?
Quæ dum Longævus memorat (velut ignibus altos
Suppoſitos cineres manibus qui ſuſcitat, acrem
Exciri ſenſim ſentit, gaudetque calorem)

Suſcipit

(b) Quibus caſibus Alphonſus ab ineundo regno ſuo prohibitus ſit puer; et juvenis ad virilem usque ætatem jactatus ſub quatuor regni uſurpatoribus, curſim innuimus in Pelagio lib. 6. not. e.

Digitized by Google

Suſcipit ingentes animos, et fronte micanti,
Flammiferisque oculis, firma quoque voce, ſenectæ
Immemor apparet longæ, veteresque videntur
Extinctæ nondum rediiſſe in pectora vires.
At non Alphonſo licuit ſermone Ramiri
Longius hoc, dulcique frui, tectisque tueri
Inſignem virtute Ducem, partirier omnes
Quo cum regnorum curas, privataque poſſet
Illius, ut gnati, fido committere cordi.
Cæſarea veniens Auguſta Miſſus ab urbe
Otia turbavit, Regi rapuitque Ramirum. (c)
Namque ferebat Afros, qui urbes cis flumen Iberum
Et montana colunt, quæ ſunt confinia terris
Cantabricis, multis armari millibus; omni
Adſciviſſe etiam ſocios ex parte; propinquas
Commiſiſſe domos flammis, ferroque colonos
Abſumpſiſſe: pagos, atque oppida plura, recepta

Ingenti

(c) Hanc quoque in Mauros expeditionem Ramiri Regis fuiſſe, et fortaſſe ejusdem poſtremam, ſcimus: hic nihilominus repoſuimus, quod exiſtimavimus rectius ad argumentum noſtrum hic, quam ſuo loco collocari poſſe. Nec Anachroniſmum exhorruimus brevi hacce adnotatione facile purgandum.

Ingenti præda, miſera vaſtaſſe ruina.
Impendere malum majus: nam certior hoſtes
Fama refert numero bellantum augeſcere, prædæ
Quos ſpes certa movet. Nec quis vim viribus æquam
Objiciat, magni vel ductor nominis, hoſtis (rum
Quem metuat, nunc promptus adeſt, ſolumque Rami-)
Expoſci votis populi, ſolius et ora, et
Hoſtiles Arabum turbas horreſcere nomen.
Nec mora conſiliis ulla eſt injecta, ſuique
Nulla ſenem, propriæque rei non cura retardat.
Ocius armatos acciri juſſit, et omne
Tutari regnum, detrudere finibus hoſtes,
Quos auſos dudum firmatæ fœdera pacis
Rumpere, vult victos memoranda plectere clade,
Supplicii exemplum Sociis, pœnæque futuros.
Tuque, Ramire, ſenex inquit, duc agmina, laudis
Maxima pars hujus, geſti quoque gloria belli
Te manet; hæc aliis addenda eſt palma triumphis.
Interea Regni proceres in Regia Magnus (d)
Alphon-

(*d*) *In conventu Procerum totius regni ſucceſſorem ſibi Ramirum ab Alphonſo delectum conſtat ex hiſtoriis; uti et conſilium cum plauſu ab totis Comitiis acceptum, ſi perpaucos exceperis, qui privatas res communi ſaluti*

Alphonſus, miſſis curſoribus, ampla vocabat
Tecta, et concilium ſummis de rebus habendum
Ordinibus Regni cunctis indixerat. Adſunt
Caſtellæ Comites, privato jure vocati; (e)
Et primi ſacra redimiti tempora mitra.
Venerat et Theudus, priſci quem gloria facti
Defenſi Regis, populi contra arma furentis,
Magno

præferebant. Hanc cum præſeferret Alphonſus, delegit virum, qualem profecto tempora illa requirebant, quique et inteſtinos compeſcere quoſcumque motus poſſet, et belligerum Abderramum Secundum Cordubæ Regem, novis adverſus rebelles arabes ſuos obtentis victoriis ſuperbientem cohibere.

(e) Aliquot urbibus Veteris Caſtellæ datos ab Alphonſo Comites fuiſſe, alibi diximus; pleno quidem in cives illos jure, ſubjectos tamen Legionenſi Regi. Idcirco privato iſti jure in totius regni conventum vocati dicuntur. Inſtitutos autem prudentiſſimo conſilio (quidquid nonnulli contra dixerint) Comitatus iſtos ex hiſtoriis cognoſcimus; cum profecto urbes illæ regno confines adverſus omnes Maurorum conatus, irruptioneſque acrius fuerint, firmiuſque defenſæ. Neque dolendum eſt, quod Comitatus iſti ſenſim in unum omnes confluxerint, qui novis adqui-

Magno inſignibat clara inter geſta decore.
Grandi ætate Senex, miro dilectus amore (f)
Alphonſo, patriiſque olim ditiſſimus arvis,
Poſt proceres, patreſque Duces ex urbibus omnes
Conveniunt functi bellis ætate vigente,
Sed nunc emeriti ſenio, vultuque gerentes,
Pectore, vel truncis manibus quæ vulnera paſſi
Martia pro patria, pro religione parentum.
Hos

adquiſitionibus auctus ditionem ſuam plurimum extenderit, et Legionenſibus Regibus fuerit quandoque juſti timoris cauſa: nam id regnum evaſit illis tempoeibus potentiſſimum non quidem noſtrorum ſpoliis, ſed ereptis Maurorum jugo urbibus, ac provinciis pluribus.

(*f*) *Quibus ab populi Aſturienſis motibus coactus fuerat Alphonſus, ne cives inteſtinis odiis conflagrarent, refugium ſibi in ſolitario Monaſterio providere. Suſcepit tuendas Alphonſi partes Theudus, vir opibus, auctoritate, apud pleroſque gratia potentiſſimus, tantaque contentione præliis ſecundis uſus eſt, ut afflictas Regis res non ſuſtinuerit modo, ne penitus corruerent, ſed altius etiam erexerit. Quo officio arctiſſime ſibi optimi Regis ſtudium adſtrinxit.*

Digitized by Google

Hos inter medius Longævus ducitur Heros (g)
Alphonſus luxu Regali: tempora cingit
Intextis multo baccis adamante corona
Aurea, ſed gemmis tantis, adamantibus, auro
Luce magis ſplendent oculi; nam dura ſenectus
Corporis in vires agiles, nil lumina contra
Eſt aggreſſa viri. Roſeus pendebat amictus
Ex humeris, auro nexus; gladiumque ſiniſtro
Aptarat lateri; gladium, quem victor in hoſtes
Extulerat toties, nec formidabile Mauris
Marte magis fulmen fuerat. Sic paſſibus æquis
Ingreditur, dextra adſtantes, lævaque ſalutat
Paulum demiſſis oculis, atque ore modeſto.
Conſidit ſolio primus, nutuque recepto,
Sedem quisque ſuam complevit more parentum.
Tunc Rex longævus, cum intentis auribus omnes
Expectant avidi, quæ res tractanda feratur,
Con-

(g) *Exceſſerat ſiquidem ætatis annum octogeſimum; nec facile erat, ut multa infirmitate careret; cum vitam duxiſſet laborioſiſſimam inter bella frequentiſſima, quæ gerebat ipſe per ſeſe, quin ullum militaris diſciplinæ incommodum, ullum diſcrimen Heros fortiſſimus declinaret.*

Concilio in tanto: ſolio ſic inſit ab alto.
 Ut lætor, Proceres, cum tanta frequentia veſtri
Ordinis objicitur; nobis utque ipſa puſillum
In mentem revocat numerum, cum ſceptra gerenda
Suſcepi, claroſque duces, qui ſanguine nobis
Hoc fuſo peperere decus, regnique ſubactis
Tantis Maurorum extenderunt urbibus oras.
His ego deberi fateor quod nomen Iberum
Clarius ab noſtris nuper ſurrexerit armis;
Heſperias quod ſævus Arabs certamine turmas
Paverit; et toties multatus clade ſuorum
Agnorit tandem, vires, et pectus Iberum
In Martis numquam campos impune vocare.
Vobis digna Deus tantarum præmia rerum
Æterno referet regno; nec ſera nepotum
Poſteritas ea facta, Duces, laudeſque ſilebit.
Dum ſtabit regnum (quod ſi mens augurat æqui,
Et veri quidquam, ſtabit; ditionis et oras
Extra anni, ſoliſque vias protendet aduſtas)
Vivet, et immenſum factorum gloria creſcet.
At nobis ſenio confectis longa ſenectus
Corporis invidit vires, rapuitque vigorem,
Quem numquam fruſtra geſtavimus, hunc vel inertem
Hoſtes experti noſtri. Scit teſtis uterque
Minhius, et Durius, flavo et qui flumine tanta

Digitized by Google

Arva Tagus ditat, quoties Atlantis in æquor
Sanguine Maurorum tumefactus, ſcuta, virumque
Corpora præcipiti pertraxerit Africa curſu.
Teſtis et ille dies, quo nullus gratior oris
Affulſit noſtris; cum quinquaginta ſub armis
Millia Maurorum noſtris cecidere, patentes
Vidimus et campos obduci cædis acervis,
Mente vigor ſupereſt tamen integer, et viget imo
Corde vetus pietas; eſt dulcis flamma medullas
In patriam, noſtræ ſemper quam pectore firmo
Prætulimus vitæ. Patriæ nos cura remordet,
Et propius quo fata vocant poſtrema, monemur
Acrius, et citius damnis obſtare, videmus
Quæ naſci poſſent, regni ſi cura ruentis
In partes varias populi commiſſa maneret
Arbitrio; premimurque magis, rapimurque timore
Quo magis ardemus felicia tempora vobis.
 Nulla mihi proles; et ſi centena fuiſſet,
Numquam ego præ patria ſobolem, natumque tuliſſem,
Nec regni hæredem, regni in partemque vocaſſem
Tempore difficili, præſtans quem plurima virtus
Acre nec ornaret ſtudium gentiſque, ſacræque
Religionis opum: ſceptris ſemperque probatos
Eſſe viros, non ſceptra viris quærenda putavi.
Quod ſi regali pariter cum ſanguine quisquam

Tan-

Digitized by Google

Tantas oſtentet dotes; cur munere tanto,
Et dono ſuperum nolis utique, fruique?
Hoc etiam dono noſtrum lenire dolorem
Supremo placuit Patri; cum tradere habenas
Et regni curas omnes poſſimus eidem
Regius exornat qaem ſanguis, bellica virtus
Maxima quem primis dudum ductoribus æquat,
Et quem commendant plures ex hoſte triumphi.
Vix hæc Alphonſus; cætu cum murmur ab omni
Audiri cæpit placidum, cunctique repente
Bernardo intentos oculos in Principe figunt. (h)
Hunc deſignari muſſant; in ſceptra Nepotem
Alphonſi acciri, ſolum germana Cimenes
Quem genuit, teneris et quem rex magnus ab annis
Inſtitui juſſit regali more, domique
Exceptum, qualem bellis, et pace videmus
Egregium eduxit. Certe quem plurima laurus,
Et multo meſſæ decorant cum ſanguine palmæ,
Cin-

(*h*) *Carpius dictus*, *Alphonſi ex Sorore nepos*; *vir illa ætate*, *bellica virtute*, *ac militari ſcientia certe præſtantiſſimus*; *cujus res geſtæ maximæ*, *atque clariſſimæ*, *et extra omne dubium poſitæ ab fabulatore neſcio quo primum tot aliis incredibilibus permixtæ ſunt*, *quibus ma-*

Cingere regali diademate tempora dignus.
Demiſſos in terram oculos Bernardus habebat
In-

magnam veræ gloriæ partem ipſe obſcuravit, ac prope extinxit, qui falsam ei ſtuduit affingere. Id certum. Eum infantulum domi regia in aula, regioque more, paternaque cura erudivit Alphonſus, cum in ejus parentes animaduertiſſet, detruſa in Parthenionem Matre Cimene; Patre autem Comite Saldaniæ oculis orbato, quod erat ſupplicii genus illis temporibus commune primi ordinis viris capite plectendis, in loco deinde munitiſſimo clauſo. Ab hac virtutis, et bellicæ gloriæ ſchola dux ille fortiſſimus prodivit Bernardus, cujus dexteritate Rex ipſe Alphonſus toties de Mauris triumpharat. Quibus omnibus officiis, rebusque bello præclare geſtis, obtinere numquam ab Rege potuit Carpius, ut laborum, periculorumque præmium ſibi eſſet Patris libertas, quam unice efflagitabat. Qua in re cum ſæpe paſſus fuiſſet repulsam; tandem abalienatus ejus animus eſt a Rege, et in ditionem ſuam ſe contulit vitam ducturus privatam. Hoc in conſilio permanſit ad regnum usque Alphonſi III. *qui* Magnus *eſt appellatus, a quo Rege et invitatus ad novas expeditioues in Mauros ſuſcipiendas, et perteſus ipſe diuturnum adeo otium, rurſus arma arripuit, et hoſtes plurimis*

Interea; firma nec quisquam fronte notavit
Ullius ſtudii ſignum: cum cætus in ipſo
Fixiſſet ſenſus animi, hosque expromeret ore.
Mutatus nec fronte color. Sed pauca moratus
Rex, ſic incæptum ſermonem eſſ' ore ſecutus.
Hic eſt magnanimus Ductor, quo fortior alter
Non fuit in noſtris Regnis, bellique nec ullus
Artibus egregius magis, et felicior: omnes
Vos teſtes, nuper quanta virtute Ramirus,

(At-

rimis cladibus affectos nominis ſui terrore implevit. At hiſce novis, et maximis in Regem meritis cum Patris libertatem obtinere non potuerit, ut neque ſub Ramiro, neque ſub Ordonio *hujus filio conſequi potuerat; argumento id nobis eſſe poteſt, fuiſſe graviſſimam regibus illis cauſam negandæ filio gratiæ, tot nominibus, ut videbatur, debitæ, quam tamen cauſam ex hiſtoricis non cognoſcimus. Quo tandem in loco, in Hiſpaniane, an in Gallia tantus vir fato functus ſit, ob adverſantes ſcriptorum opiniones certo non conſtat. Ceterum id videtur extra opinionem poſitum, eum adverſæ fortunæ viciſſitudines invicta conſtantia, ac fortitudine plane heroica ſuſtinuiſſe; cum ei, ſi Scriptores aliquot noſtrates, exteroſque audieris, ſceptrum Legionenſe deberetur.*

(Attonitis hæſere animis hoc nomine Patres
Audito, fremitus ruſus, murmurque ſecundum
Exortum) noſtro boreali ab littore claſſem
Arcuerit Northmannorum; quot gurgite ponti
Merſerit infandas naves, quotque uſerit igni;
Millia quot letho dederit; terrore repleric
Et quanto immanem gentem, quæ cautibus orta
Caucaſeis mage duris, et nutrita venenis
In populos noſtros vires explere furoris
Sperarat, noſtris ſpoliis diteſcere, clade
Horribili vaſtare magis, quam Francica nuper
Sit tellus experta ſuos contra inclita cives.
Nec Princeps alter regali ab ſanguine ſurgit
Proximior nobis; vos ſcitis; namqne parentem
Ipſe refert Froilam fratrem mihi. Sceptra docemur (i)
Quin etiam monitis ſuperum confidere crebris
Inſigni pietate viro, cui maxima cordi
Religio, ſincera fides; huncque eſſe Ramirum
Novimus ex ipſo, qui nos in regna vocavit.
Hunc vobis, populis noſtris, hunc ſponte, volentes
Præfi-

(i) *Ne mireris, Lector, nullam a nobis prætermitti occaſionem adnotandi Pelaji ſanguinem in regibus noſtris perſeverare. Vicem rependimus exteris quibusdam ſcriptoribus,*

Præficimus, plenas et poſt inſtantia fata,
Queis premimur dudum, regni largimur habenas.
Sic ait, et læto confeſtim regia plauſu
Atria viſa, novo delecto rege, timores
Depo-

---

ptoribus, quibus ſolemne eſt, quam poſſunt crebrius animadvertere, eundem ſanguinem in Alphonſo Caſto, ante Ramirum ſcilicet, extinctum fuiſſe. Quod ſi hi ſine invidia præſtare ſe poſſe exiſtimarunt, quanto potiori jure id etiam honoris, et gloriæ noſtris nos Regibus vendicabimus? Nobis itaque firmum eſt, quantum tantæ vetuſtatis tenebræ patiuntur, regnum poſt Alphonſum hæreditario etiam jure ad Ramirum potius, quam ad Bernardum pertinuiſſe; cum ille ex fratre, hic ex ſorore nepos eſſet. Ceterum vero videtur ſimile, fuiſſe plures qui exiſtimarent regni ſucceſſorem futurum Bernardum, quem ab Alphonſo videbant a pueritia quadam veluti adoptione adſumptum, domi paternis curis educatum, quod Ramiro non contigerat, qui in ditione paterna verſabatur, tamquam in ſuo, ſceptro etiam multis rebus præclare geſtis digniſſimum, ſi paternum genus excipias, nobile illud quidem, ſed privatum, et crimine maculatum quo in adeo diſpar matrimonium ſumma Regis offenſione irrepſerat.

Depoſuiſſe, quibus dudum vexata, viderent
Cum mala, quæ totis inſtabant plurima regnis,
Ceſſiſſet fatis ſi Rex, hærede relicto
Incerto. Totam vulgataque fama per urbem
Lætitia ingenti plebem, civesque refecit.
Dum Rex Alphonſus regali ab ſede per ampla
Atria tot ſeptus procerumque, ducumque corona
Ducitur ingentis penetralia in intima tecti.
  Atque ea dum magna Legionis in urbe geruntur;
Cantabriæ, veteriſque procul pellebat ab oris
Caſtellæ Mauros, ſolita virtute, Ramirus.
Jamque introgreſſos multarat clade cruenta
Victor, et accepta ſpoliarat divite præda;
Cum turmas, aciesque jubet confinia præter
Currere regnorum, terras, urbesque Maconis
Imperio fædi ſubjectas, urere flammis;
Obvia quæque Arabum ferro dare corpora letho.
Et bello capta juſto diteſcere præda.
Scilicet inde ſcient quanto violata doloſis
Conſtabunt pactæ nobiſcum fædera pacis.
Ab duce militibus quæ vix eſt facta poteſtas,
Cum ſubito (miſſis ceu quondam carcere ventis
Æolio terras, et pontum turbine perflant,
Proſternuntque ſalo late, campoque patenti
Obvia quæque, rates pelago, turresque, domosque
Mon-

Montibus et veteres ruptis radicibus ornos.)
Iucubuere Arabum terris; pars ſævit in arva,
Inque pagos, rapidus quos flumen findit Arago;
Unda prius undis quam confundatur Iberis.
Aſt Durii fontes alii, vicosque requirunt,
Dives alit quotquot Romanis faſcibus olim
Terribilis, telis, et ferro neſcia vinci
Romulidum veterum celebrata Numantia faſtis.
Oppida cuncta cadunt flammis devota, nec ullum
Perfugium eſt miſeris noſtrum victricia contra
Agmina, ſolicitum præter vitæque, reique
Salvandæ ſtudium, celeri committere quæque
Salva fugæ. Ferri vires, vulcania campos
Jamque acies triſti vaſtarat clade jacentes
Vxamam medios ac inter Vallis oletum;
Cum gemini miſſi primis ex urbibus adſunt
Chriſtiades, veniamque petunt, Magnumque Ramirum
Obteſtantur, amet privato credere pacem
Reſciſſam, non jure Patrum, ſanctique ſenatus;
Neve velit noxis turbæ rationis egentis,
Limphatæque, virum totas res vertere fundo
Inſontum, tot Chriſtiadum, quos ira, furorque
Extinguet Martis, crudelis et auferet enſis,
Innocui quamvis vivant, diſcrimine nullo.
Se pacem firma facturos lege, daturos

Obſi-

Obſidis et certi numquam violabile pignus.
  Audiit invictus Ductor, nec ſuplicis ora
Rejicit, ardenteſue preces; confinia quando
Tuta manent regni, pænas et ſumpſit ab hoſte,
Terribiles pænas, qui captis urbibus, agris
Everſis, raptis ſpoliis ingentibus, atro
Sanguine profuſo, tandem didiciſſe fatetur,
Haud impune datæ violari pignora pacis.
Chriſtiadis do pacem, inquit, vobisque ſalutem
Noſcat Arabs partam deberi. Cetera, ferro
Mens erat, et flammis abſumere quæque Maconis
Imqerio ſubſunt, noſtris confinia terris.
Ite ait, atque armis concurrant arma cavete
Afra meis, Arabesque modum ſervare, fidemque,
Jam toties pactam, iterumque, iterumque monete.
  Hæc fatus ducibus turmas, aciesque tubarum
Edicit rauco ſonitu cohibere; retroque
Ferre pedem; ſumptumque ſatis pænæque, gravisque
Supplicii miſeris ex hoſtibus, inquit; et inde
Militibus maneat, iuſſit quæ præda cuique eſt.
  Ergo alacres omnes acies, ſpoliisque potitæ,
Explicitis vento ſignis, lætoſque tubarum
Inter concentus in priſtina caſtra ferebant
Seſe victores; et ſpe jam quisque penates
Præripit, et dulces gnatos, et chara ſuorum

Pi-

Pignora. Sed veniens magna Legionis ab urbe
Nuntius, ancipites primum, mox reddit inanes
Spes dulces; rurſusque vident in bella vocari,
Rurſus et arma novos contra capienda rebelles.
Namque ferebat, uti patribus Rex rite coactis
Concilium in magnum, ſceptrum, regnique coronam
Detulerat forti poſt proxima fata Ramiro,
Totius hæredem regni quem dixerat, et quem
Conventus Procerum plauſu ſuſceperat omnis.
Aſt, ut mens hominum non conſtans, utque coronæ
Grande decus dulci mortalia pectora vinclo
In quaſcumque trahit partes, vanosque cupido
Exagitat dominandi aliis, ſurrexit et arma,
Arma Nepos ſumpſit, ſeſe que in regna vocari, (k)
Sceptra ſibi, dixit, deberi: jura vel armis
Se ſua tecturum, quamvis ſurrexerit omnis
Vis contra regni; multo ſe milite Regi
Alphonſoque parem, regique venire Ramiro.
Exciri turbas; cæci flammasque furoris
Corripuiſſe patrum diſcordia pectora, quorum
Non eadem mens ſana; volunt nec dona quietis
Diſſidii cupidi; turbatis ſcilicet omnis

(k) *Nepozianus iſte qua gente eſſet ortus, uti et quo*

Ordinibus regni, ſperant emergere triſti
Qua nunc ſorte jacent. Fidens et viribus horum
Signa Nepos belli ductor ferus extulit, arma
Et ſocios cogit. Concurrit et undique vulgus,
Fex populi, cives miſeri, priſcoque parentum
San-

nomine regnum capeſſere ſe jure poſſe ſperaret, nobis plane ignotum. Ex hiſtoria diſcimus, eum exercituum ductorem fuiſſe, et quorumdam procerum novis rebus ſtudentium, auxilio exercitum confeciſſe, vix fato functo Alphonſo, cum Ramirus procul abeſſet, et bellicis rebus diſtraheretur; eundem aliquot urbibus potitum fuiſſe, resque Ramiri ab eodem in ſummum diſcrimen adductas. Hoſce motus cum intellexiſſet Ramirus, rebus adverſus Mauros ſumma felicitate, ac gloria confectis, exercitum ſuum victorem in rebellem adverſarium duxit primis perfidiæ fructibus ſuperbe inſanientem. Pugnatum acriter eſt utrimque, donec duo ex Nepotiani familiaribus perfidiæ pœnitentes, et in bonam frugem ab acribus conſcientiæ ſtimulis, imminentibusque malis revocati, eundem victori, Legitimoque Regi tradiderunt: quem Ramirus ſola oculorum jactura multatum in locum munitiſſimum relegavit. Ita profecto ex hiſtoria; nam quæ aliter deſcripta ſunt, poeticæ ſunt licentiæ abſcribenda.

Sanguine degeneres animi. Stetit ore Ramirus
Imperturbato; nec quod ſit proximus hæres
Regni, turgeſcit; motus nec civicus illi
Solicitæ eſt curæ. Varium et mutabile quantum
Sit vulgus, noſcit; jungi ut nec fædere longo
Bellandi virtus, animi inconſtantia poſſunt.
  Ergo jubet totas acies juſto ordine cogi
Se circum, tacitis et juſſa capeſſere linguis.
Ipſe ſuo ſublimis equo, poſtquam agmina circum
Adſpexit, paucis animos in prælia verbis (quam
Accendit promptos. Veſtram, quam quisque propin-)
Credebat pacem, ſurgens modo diſtulit hoſtis.
In cives, patriæ dilectæ in viſcera ferrum
Cogimur, o Socii, convertere; dicier audent
Si cives etiam, patriæ ſi viſcera, contra
Qui patriam ſævi conjuravere, nefando
Crimine perjuri: potius pro civibus arma
Sumimus, et patria, veſtrum quam ſanguine quisquam
Incolumem ſervare cupit. Tendamus in hoſtem,
Quem ſceleris primum tanti mens conſcia mordens
Intus debilitat, furor armat; at furor iſte
Nil virtutis habet tela inter martia; ritu
Vaneſcit flammæ crepitantis. Vicimus hoſtem
Vidimus ut: veſtras acies non ille virili
Fronte feret. Superis eſt noſtri maxima cura:

Perjuros contra vibrat ſua fulmina cælum.
Ite, ait, et vobis pugna non amplius una
Spes auferre datur ſceleratis hoſtibus omnes,
Et patriam incolumem ſævo purgare veneno.
  Hæc fatus, celerare viam recto ordine turmis
Imperat, et mittit curſores, qui loca late
Explorent cæcis accommoda fraudibus; ipſe
Vectus equo pedites ducit, ſpem fronte ſerena
Oſtendens certam, ſociiſque inſpirat eandem.
Tendit iter montes inter, terrasqae jacentes,
Sunt ubi cantabriæ, regni legionis et oræ,
Quo ſe contulerant, et totis undique regnis
Concurrunt contra patriam qui ſigna ſecuti
Impia ductoris; complent et caſtra Nepotis.
Obvia fit paſſim gradientibus inclita pubes
Nobilium juvenum, procerum quos excitat ardens
In Regem ſtudium longævum, atque inſtruit armis
Dulcis amor patriæ, vindictæ et juſta cupido
In conjuratos populorum perdere pacem.
His acies creſcunt ſociis, numeroque vigenti
Creſcit adhuc longe major ſpes omnibus: urgent
Ergo iter incæptum celeres, damnantque locorum
Longinquos tractus, queis ſecernuntur ab hoſte.
  Jamque dies progreſſa novem gens omnis, et oras
Cantabriæ linquens dextras, penetrabat in altos

Aſtu-

Aſturiæ montes; veniens cum curſor equeſtres
Conſediſſe refert turmas; aciesque Nepotis
Delegiſſe locum caſtris trans fontis Iberi
Montes, et collem ſupra, qui lenis in amplam
Planitiem boream verſus protenditur, usque
Vicinum rivum tentoria fixa videri,
Quaque peti poſſunt, firmo circundata vallo.
Juſſus eques tardare, moras et nectere, donec
Seſe acies peditum montanis ſaltibus omnis
Expediat, campumque tenens certo ordine poſſit
Componi ad pugnam. Montes evaſerat; ecce
Cum ſubito totus geminas equitatus in alas
Finditur, et pedites amplectens, objicit hoſti
Horribilem ſpeciem, celso de monte tuenti
Longe fulgentes acies, atque auribus atrum
Captanti litui ſtrepitum, ſonitumque tubarum.
 Linquere caſtra Nepos ſociis, inque arma Ramiri
Hoſtilesque acies, celeri perrumpere curſu
Imperat, ante levent hoſtes quam membra quiete,
Infractæque via vires in priſtina ſurgant
Robora: ſtat ſortem rerum certamine in uno
Audaci tentare duci. Nec inutile credit
Ducere defeſſos contra ſua caſtra, refecit
Quæ tranquilla quies: Ut rauco cornua flatu
Admonuere datum tempus concurrere; jactu

Miſſilium tenues acies diverberat auras
Eminus hoſtilis; propiusque impulſa Ramiri
Ordinibus primis miſcetur: cominus enſe
Hinc pugnatur, et hinc: punctim, cæſimque necantur,
Virque viro obruitur, dextris et dextra plicatur;
Pugnantumque furor minitans, gemitusque cadentum
Horribilem pugnæ ſpeciem ſpectantibus offert.
Nec quisquam pugna abſiſtit, ſegnisque moratur,
Lethali quamvis confoſſus vulnere, ferri
Dextera dum pondus, remanensque in corpore ſanguis
Dum vires, animosque audaces ſuſtinet. Acer
Certat Iber, vitæ, pugnæque eſt exitus idem;
Et quem quisque locum certans implevit, eundem
Occupat extinctus. Sævæ jamque amplius iræ
Invicto ſurgunt Ductori. Voce Nepotem,
Hunc oculis unum ſequitur. Nec ſegnior ille
Obvius occurrit quærenti: primus et haſtam
Corpus in adverſi venientis, et ora Ramiri
Torquet: at haſta volans clypeo eſt excuſſa rigenti
Æregravi: ſubjecit equo calcaria Princeps,
Atque manu vibrans immani pondere telum,
Direxitque ictum, celerique in pectora curſu
Intinctum ſtygiis undis infixit acumen.
Nil thorax squammis horrens, nil pectus ahenis
Profuit: Extincto ſimilis (ſed pœna cadentem

Urget

Urget acerba magis) per terram labitur. Enſem
Extulit, extinctum clamans qui maxima belli
Cauſa fuit: ſociique ducem ut videre jacentem,
Funeris ut cæpit vox inter et arma, tumultus
Inter et audiri, tepuerunt cordibus ignes.
Vertunt terga fugæ ſenſim, vallumque requirunt.
Quos bonus ulterius curſu teliſue Ramirus
Infeſtare vetat; civili ſanguine nolens
Arma ſuper tingi. Procerum juſſuque Nepotis
Qui ſubiere vices, feſtinant caſtra rebelles
Aggeribus firmare novis, mentesque paventes
Agnoſcens Princeps, ſenſim et ſubiiſſe furoris
Imo in corde locum Martis, pugnæque timorem;
Acrius ut cruciet metus hic, vexetque rebelles,
Vexatosque vocet tandem, cogatque ſubire
Officium patriæ debet quod quisque, phalangas
Imperat in plano conſiſtere, cingere collem
Hac circum, turbas peditum ad ſublimia ducit
Ipſe, vias claudens arctas, ut caſtra rebellis
Obſidione premat, qua tollitur exitus omnis,
Omnis et ingreſſus circum ſic milite cinctis.
Namque pius populis ignaris, arma coactis
Alterius vitio potius, quam mente maligna
Sumere, parcendum ſtatuit; nec ſanguine tela
Eſſe iterum tingenda prius, quam vanus, inanis

Expertus pacis modus omnis, cura quietis
Irrita quærendæ: ductusque hac mente, videret
Undique cum cinctas armato milite turbas
Hoſtiles, ducibus præceperat, arma caverent
Injuſſi contra obſeſſos, vallumque movere;
Vel duris trepidos, timidosque laceſſere verbis.
Ipſe vices patris, chari ſubit ipſe ſodalis
Officium interea. Quanto diſcrimine rerum
Verſentur, videant obteſtaturque, monetque
Quem contra ferro armentur; quis fructus ab armis
In patriam ſumptis ſperandus? Caſtra relinquant,
Seque, ſuosque gravi ſalvent ab clade, priusquam
Ipſe acies moveat, civili et ſanguine mucro,
Stringendus Mauros contra, tepeatque, fluatque.
Irrita nec magno ſpes eſt accenſa Ramiro
Vocibus his: vulgi namque ut pervenit ad aures
Pacis amor, ſenſusque pius, quem pectore prompſit
Egregius Princeps; multis frigeſcere cæpit
Corde furor, ſanæ mentis lumenque redire.
Jam temere cernunt in matris viſcera ferrum
Arripuiſſe, dolis ſe captos, arma moverent
Scilicet, ut ſummi vanus captator honoris
Parta ſibi ſumat civili ſanguine ſceptra,
Jus contra procerum jurandum. Ab Rege Ramirum
Hæredem dictum regni, plaudente Senatu.

Eſſe

Eſſe illi corde pacem, populique ſalutem;
Cum poſſit turmis victricibus omnia ferro
Vertere; malle ſuos patrio compellere amore.
Hæc acies inter paulatim ſerpere, ſenſus
Et vulgi cæpere prius, mox corda ducumque
Flectere: præteritæ terrentur imagine pugnæ,
Si Mars ingruerit, vel ſi obſidione premantur
Longius, atra fames miſeros, ſitis aſpera clauſos
Conficiet, veniæ vivis ſpes nulla pateſcet.
Agnoſcunt proceres nutantia corda ſuorum,
Et mentes titubare vident, nec qua ratione
Confirment pavidos tanto in diſcrimine rerum
Occurrit. Mentem, regni quam cæca cupido
Abſtulerat, triſtis reddit fortuna Nepotis.
Implorare pios animos, ſe credere firmant
Magnanimo Heroi, dum fas: minitantia fata
Vertere, dum tempus, ſortis melioris in uſus.
Ergo prius turbæ quam dilabantur, amicis
Compellant proceros verbis; nec multa morati
Pro ſe ſumpta citi deponant arma ſuadent,
Errorisque ſui veniam, pacemque repoſcant.
Aſſenſere animis, nutuque, et murmure læto
Primæ acies plaudunt optatæ pacis honeſto
Conſilio: jungunt his ſe qui Martis ab armis
Utile

Utile nil ſperant, ruerant inque arma furore
Abrepti cæco. Propius fortuna Nepotis
Quos tangebat, eo res et ſub Principe primas
Crediderant regni nanciſci, quique quietos
Excierant animos populi, contra que Ramirum
Armarant acies, coguntur cedere turbis
Inviti, certæque ſibi tentare ſalutis
Suppliciter magis usque vias, quo crimen acerbum,
Injuſtumque magis fuerit: plauſuque ſecundo
Pacis ſigna leves tandem panduntur ad auras.
Mittitur orator, leges qui fæderis æquas
Supplicibus poſcat precibus, commota Ramiri
Pectora placarit poſtquam. Paulumque moratus
Miſſus adeſt, pacemque refert hac lege. Penates
Quisque ſuos de plebe petat, ternique ferantur
Non plures numero, ſit non iter omnibus unum.
Arma ferant ſecum patitur. Vexilla dabuntur
Sed flammis: primique Duces per diſſita regni
Oppida diviſi maneant ad Principis usque
Imperium. Procerum purgandum crimen in oris
Galleciæ, donec frugi, mentiſque futuræ
Pignora præſtiterint; majorum in jura vocandi
Tunc, ubi certa fides maculas abſterſerit omnes.
Hæc ſunt, miſſus ait, quæ Princeps optimus armis
Imperat, et quem noſtra ſalus, populique remordet

Cura magis, regni moveat quam juſta cupido,
His animi accenſi dictis, et vulgus, ut omnem
In partem ſervare modum neſcit, dare flammis
Feſtinat vexilla prius, dein plurima Mavors,
Et quæ magnorum caſtrorum poſtulat uſus,
Proſternit. Tandem erumpunt, et ſepta relinquunt
Totæ acies peditum, nota et regione viarum
In ſua ſe quisquam recipit; primique Ramirum
Ductores adeunt; coram ſe Principe ſiſtunt
Et proceres, veniamque petunt, errata retractant,
Et juſtas referunt grates, jurantque futuram
Æternam, firmamque fidem. Quos mitibus Heros
Proſequitur verbis, magno oſtenditque dolori
Eſſe ſibi, regni quod res, et publica poſcat
Iuſta quies, illos arceri ab principe regni
Urbe procul; meliora jubet ſperare, quietas
Ut primum fuerit regnorum nactus habenas.
Quisque ſuum digreſſus iter ſuſcepit. Ovantes
Tum ſocios ducit victor Legionis in urbem,
Et merito quemquam Princeps inſignit honore.

FINIS LIBRI SECUNDI.

Digitized by Google

LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM.

Alphonſo exequiis Regi jam rite ſolutis,
Ædibus in ſacris, primoque ab Præſule regni
Accipit et ſceptrum, et fulgens diadema Ramirus,
Terque ſalutatur Procerum Rex vocibus. Inde
Pompa pia inſtruitur, Chriſto et famulatur Jeſu
Rex: et diversà formæ ſub imagine Regna,
Quæ ſub utroque polo priſcis incognita ſæclis
Heſperidum Regum ventura in ſceptra, feruntur.

AT Rex Alphonſus ſenio confectus in aula
Agmine morborum languebat preſſus eorum,
Longa quibus quatitur, debellaturque ſenectus;
Adventare diem cum ſenſit, fluxa caduci
Munera qui Regni mutaret ſede per ævum
Manſura æternum: finem ponensque labori;
Non vertenda novæ deferret gaudia vitæ,
Depoſitis regni curis, manibusque Ramiri (a)
Inte-

(a) *Aberat ab urbe Regia Ramirus, et ſecundo, adverſus*

Integras poſtquam rerum conceſſit habenas,
Ipſe animum, mentemque omnem, ferventia cordis
Vota pius ſuperum crebro mittebat ad aures;
Et mentis maculas, quibus eſt obnoxia virtus,
Magna licet, lacrymis tergens delebat obortis:
Inque viam ſacris epulis ſe rite pararat;
Cum tandem placida defunctus morte quievit
In chari amplexu, gemitu teneroque Ramiri.
Qui poſtquam ingenito nobis conceſſit amori,
Indicit cæleſte novem ſacrare diebus
Libamen, templis atque aras omnibus urbis
Muneribus cumulare, quibus Pater optimus alto
Placatur cælo, nobis miſeretur, et omnes
Noxarum maculas, macularumque abluit umbras.
Nona dies urbi illuxit, ſacrique Miniſtri,
Infula queis puris redimibat tempora vittis,

Acci-

verſus Mauros pugnabat Marte, cum Alphonſus exceſſit e vivis. Itaque hoſtibus graviter multatis, et ad officium, pactasque induciarum leges coactis; inſtituendis, reddendisque ſupremi diei honoribus Regi Maximo, deque ſe optime merito dare operam potuit, eamque exequiarum pompam indicere, quam fide nos poætica, non quidem hiſtorica damus.

Digitized by Google

Acciti primis aderant ex urbibus; horum
Quemque Miniſtrorum ſequitur delecta verenda
Ordine turba ſacro; juſſu tum Principis omnis
Inſtruitur primum ad Templum pia pompa, ſupremus
Qua reddendus honos, componendæque ſepulcro
Alphonſi exuviæ. Præcedunt agmine longo
Qui Mauris direpta ferunt vexilla, comantes
Qui galeas, et ſcuta ducum, quæ maximus armis
Abſtulit Alpousus tot bellis. Oppida Mauris
Capta alii ſignis geſtant, quæ fiſſile lignum
Artificis ſectum manibus formavit, et inter
Oppida ſurgebant ſuperis quæ plurima curis
Templa piis ſtruxit; vel quæ prolapsa jacerent
Vi Martis proſtrata, novis ni ſumptibus ipſe
In priſcum retuliſſet opus, pulchrumque nitorem.
Pone venit multis redimitum floribus agmen
Virgineum: binæ procedunt; lilia dextris
Oſtendunt, primi ſervati inſigne pudoris
Rege ſub invicto, veſani ab pectoris æſtu.
Inde miniſtrorum ſeries, qui mæſta canentes
Expoſcunt pacem precibus, Regique quietem.
Hoc agmen claudit multis circum undique cinctus
Prœſulibus, primus Legionis in urbe ſacrorum
Antiſtes, mæſtis indutus veſtibus, Aris
Ultima quique Deo libabit munera, Regis

Exuviis tumuli ſupremos reddet honores.
  Hunc ſequitur fuſco, regali at nobile luxu,
Impoſitumque ducum primis regale feretrum,
Corpus ubi exanimum jacet; auratosque tapetis
Limbos e procerum numero bis quatuor alte
Extollunt. Fuſco Princeps velatus amictu,
Defixisque oculis in terram, mæſta Ramirus
Agmina proſequitur, ducibus, procerumque corona
Incluſus circum. Poſtquam ſuprema Sacerdos
Vota Deo ſolvit, dixitque noviſſima verba;
Contextum eſt corpus tumulo, qui rite paratus,
Impoſitumque ſuper marmor, cui carmina juſſit
Inſcribi Princeps, longum manſura per ævum.
Alphonſus jacet hic armis Rex Maximus, at qui
Laude pudicitiæ major, cognomine Caſtus.
  Sic pius, exequiis Alphonſo rite ſolutis,
Regnorum poſtquam ſuſcepit ſceptra Ramirus,
Indixit feſtosque dies, ludosque, celebrent
Queis cives, equitesque ſui primordia regni,
Implorentque Patris cæleſtia lumina, promptum
Subſidiumque petant Regi, quo legibus æquis
Commiſſos populos longum teneatque, beetque.
  Ergo munifica, feſtiva et nobile pompa
Inſtruitur primum Templum, quod marmore mira
Arte intertextum vario ſublime columnis

Pluri-

Pluribus inſiſtit; pariesque tapetibus omnis
Inſtruitur Tyriis; Babilonica texta trilici,
Et tenui longe ſplendentia, pluribus auro
Villoſis ſericis telis diſtincta, columnas
Obducunt, ornantque ſimul, quas inter ab altis
Fornicibus pendent lychni, funalia lychnos
Plurima diſtinctos auro, gemmisque nitentes
Complerunt victura diem. Sed maxima fulget
Ara ſuper, gemmis, baccis, adamantibus auro
Infertis multo vaſis: pretioſior aræ
In medio reſplendet adhuc thronus aureus, inquem
Confluxere maris certatim munera, terræ
Divitiæ, artis opes, operumque labores
Pervigiles; ſedesque Deo velamine noſtris
Luminibus tenui tecto; ſed lumine menti
Divino noſtræ manifeſto clarius, orbi
Quam ſol adſurgat, medioque niteſcat Olimpo.
 Ab celsa poſtquam populis ſacra tympana turri
Feſtivo ſignum ſonitu, ſtrepituque dedere;
Conſonat urbs omnis plauſu; ſacræque per urbem
Ædes diviſæ reſponſant vocibus æquis:
In Templum cives concurrunt undique, plenis
Ordo viis omnis procerum, juvenumque, ſenumque,
Ardenteſque preces imo de pectore fundunt,
Aſtra fatigantes votis: Rex optimus annos

Neſtoris ut numeret, felix felicia regna
Ut magis amplificet, ſeriſque nepotibus ipſe
Exemplar maneat fauſtæ immutabile ſortis.
Venerat et multo ſtipatus milite, longo
Fulgentique ducum, procerum Rex agmine cinctus,
Quos inter, ſtellas velut inter Luna minores,
Emicat, et toto procero vertice ſupra eſt;
Nam formæ vultus, frontis decorique virili
Addiderat natura parens ſpirantia flammas
Lumina, ſed flammas dulces, qualeſque pyropus
Emittit, vel gemma micans, quam plurimus auro
Circulus innectit; vultu, vel corpore, greſſu
Molle nihil, verbis etiam, vociſque vigore,
Omnia magnanimo ſimilis, regique, decorat
Regia quem virtus omnis formæque, animique.
Poſtquam introgreſſus, curvato et poplite ad aram
Conſtitit, effuditque preces; diademata primus
Extulit Antiſtes, ſuperum regemque precatus
Ardenti ſermone; caput diademate cinxit,
Et magna Regem dixit ter voce Ramirum.
Ingeminat plauſu populus, feſtoque clamore
Exultant ædes ſacræ; nomenque Ramiri
Poſteaquam templi reſonarunt atria, longe
Auditur, totamque replet jam plauſibus urbem.
Omnibus in templo rebus ſic rite peractis

Digitized by Google

Inſtruitur, quæ dicta atavis, *proceſſio*, nomen
Haud Latio ignotum, ſed res non cognita; ſacrum
Sic agmen dixere patres, ubi et ordine bini
Chriſtiades longo incedunt; ſeu rebus in arctis
Auxilium ſuperum implorent, ſeu reddere grates
Inſtituant; et læta canunt, vel triſtia, poſcit
Qualia cauſa viæ. Noſtros ſic ſacra triumphos
Relligio reddit ſacros; donumque fatemur
Eſſe Dei quodcumque bonum vel poſcimus, illo
Vel fruimur parto: placet iſtis ritibus uti.
  Turma equitum longe fulgens inſignibus armis
Præcedit, terror populis innoxius, æſtus
Præcipites qui contineat, latamque relinquat
Curribus, agminibusque viam, quam firmat utrimque,
Conſervatque acies peditum. Mox ordine juſto
Quinque triumphales præcedunt agmina currus, (b)
Artis opus miræ, prænoſcentisque futura
In-

(*b*) *Triumphalibus quinque curribus adumbrata exhibemus regna, quæ ſub utroque hemiſphærio Hiſpanienſi imperio multa poſt ſæcula adjecta ſunt*, Regumque *noſtratum non minus gloriam, quam potentiam extulerunt; poſteaquam tot annos nixi fuerant Arabes alteram penitus extinguere, alteram perpetua oblivione ſepelire.*

Digitized by Google

Ingenii: ſceptra Heſperiis addenda coronis,
Venturis ſeclis, ſub utroque jacentia cælo
Ignotæ, notæque dedit ſub imagine formæ.
Progreditur currus primus, bis quinque ſuperbis (c)
Tractus equis, phaleris multo fulgentibus auro;
Et mentes oculosque rapit, ſtudiumque tuentum
Mons ingens, sylvisque virens felicibus, unde
Vua rubet, nullam propius qua dulcis Jacchus,
Mitia pampineis præcinctus tempora fertis,
Adſpexit. Sed grata oculis ſpectacula turbant
Horrificis, quæ crebra ſonant, mugitibus, antra;
Inter-

(c) *Primus ordine currus Neapalitanum regnum per ſimbola exprimens deſcribitur, non quod prius in hiſpanienſem ditionem venerit, ſed ob dignitatem; cum præſertim hac ætate noſtra quaſi ejusdem appendix Siciliæ exiſtimetur. Serius igitur quam alia Italiæ regna in Aragoniæ familiæ poteſtatem tractum eſt, ereptum Andegavenſibus anno c.* 1443. *cum, capta urbe Principe ab Alphonſo Aragonio, qui dictus eſt* Magnanimus, *et reliquis prope omnibus provinciis ſub jugo miſſis, ab regni totius comitiis ipſe ſalutatus eſt* Rex, *et ejus filius Ferdinandus dictus Calabriæ Dux regni hæres eſt communi conſenſu, plauſuque cognitus.*

Digitized by Google

Interdumque vomunt nubem, tolluntque per auras
Turbine fumantem piceo, et candente favilla,
Flammarumque globos, liquefactaque ſaxa caminis.
Nec procul hinc ſurgit, regali ſplendida luxu
Urbs cælo, felixque ſolo Neptunia; ſubter
Parthenope ſeſe tumulo de marmore clauſam
Objicit intuitu; quæ quondam victa ſagacis
Artibus æolidis Graji, cui Troia ceſſit.
Impatiens vinci, perteſa et luminis auras
(Si verax fama eſt)·fuſcis ſe condidit antris,
Surgentique dedit nomen felicibus urbi
Auſpiciis, accepturæ memorabile, poſtquam
Carolus invicti proles præclara Philippi
Miſſus ab Heſperiis fortunatiſſimus oris
Annis viginti regnandam acceperit urbem.
Apparet propius portus, quem mille triremes,
Mille rates ornant, ſtatio tutiſſima nautis,
Tota licet Nereus imo ciet æquora fundo.
Pone ſubit tractus equis, monſtriſque marinis, (d)
Exhibet effuſi ponti qui currus aquarum

Æquor

(d) Petrus Aragoniæ Rex, ducta in Matrimonium Conſtantia Manfredi ſiculi Regis filia, hoc occiſo, uti et capto interfectoque Corradino, in quo Friderici, ac Suevicæ

vicæ

Æquor cæruleum, mediisque in fluctibus alte
Conſurgit triplici terra inclita vertice, quondam
Quam noſtri primum forti ſub Rege Sicano
Dicuntur coluiſſe, ſolum, florentia et arva
Linquentes, quæ findit iber, ſicorisque fluenti
Montana fæcundat aqua: campique pateſcunt
Ingentes, cereris donis, ſpicisque rubentes.
Æthna procul ſurgit, fumoſam ad ſydera nubem
Sole ſub ardenti eructans, noctuque favillam;
Interdumque, cavis ruptis fornacibus, agros
Fulmine ſulphureo, pinguique bitumine inundat.
Stantque novem circum Vulcani nomine terræ,
Æga-

vicæ ſtirpis in Sicilia germen omne evulſum eſt, nactus eſt regnum hocce memorabili illa Gallorum internecione, quam Veſperas Siculas *vulgo vocant ſcriptores an.* 1282. *Ab hoc rege deinde ad ceteros Aragonios, et ab his ad Caſtellano-Legionenſes jus in Trinacriam tranſlatum, confirmatumque ſolemni pacto Aragonios inter et Andegavenſes poſtquam viginti totos annos exarſerat inter eos bellum.* Nam *fractis demum utrimque animis an.* 1302. *ventum eſt ad fœdus, ex quo* Eleonoram *Caroli filiam copulare ſibi matrimonio debebat* Rex *Federicus, accipiens veluti dotalem Siciliam.*

Digitized by Google

Ægadesque, mari cinctæ, etquæ nomine grajo
Dicta eſt Ortygiæ tellus. Procul ora Charybdis
Exerit, alternis, et sydera verberat undis.
  Tractu inter ponti poſito, ſe obtutibus offert (e)
Inſula Sardiniæ; Norax quam fertur Iberis,
Mercurii Norax ſoboles, repleſſe colonis,
Quos docuit nivei quam dives vena lateret
Montibus argenti; venæ quæ ſigna tenenda
Divitis, atque inopis; tractum quaque arte metallum
Purgandum vitiis alieni corporis. Idem
Sardoniæ virus monuit lethale, virentis
Herbæ apio ſimilis: calidis et fontibus eſſet
Quæ virtus contra morbos, et ſæva venena.
Ipſa trahit ſecum Cyrnum; Taphrosque videres,
Oſtia ſic veteres dixere anguſta, minacis

(e) Sardiniæ Regnum Aragoniæ ſceptris ante Neapolitanum adjunctum eſt Rom. Pontificis Bonifacii VIII. auctoritate, et, ut vocant, inveſtitura; cum de eo ſeſe inter Januenſes, et Piſani decertarent bello interminabili, quo et ipſi mutuis ſeſe cladibus conficiebant, et reliquam Italiam crebro ſusque deque vertebant, ingenti publicarum rerum damno, atque omnium perturbatione. Pari ratione potiti ſunt Corſicæ Regno Aragonii.

Et vada dura maris, crebris quæ conſita ſaxis,
Cyrnum Sardiniæ ſcopuloſis nexibus arctant.
Corripit et mentes, oculos fixosque moratur (f)
Objiciens ignota magis, qui tertius ipſo
Ordine procedit currus, quem ſole coruſcans
Perpetuo cingit tranſverſim Zona. Per undas
Æquoris immenſi tumidas novus orbis ab auſtro
Surgit ad occaſum; montesque emegere longe,
Attollique mari ſenſim cernuntur ab alto.
Con-

(*f*) *Imperium ſcilicet Mexicanum, quo Americæ ſeptentrionalis partem ſub Zona torrida extenſam comprehendimus, detectum ſceptrisque hiſpanienſibus adſcriptum ab Ferdinando Corteſio ſub Catholico Rege, Romanorumque Imperatore Carolo V. an.* 1521, *cum detectum fuiſſet triennio ante ab Joanne Grijalva. Imperii hujus ingentes divitiæ paſſim occurrunt apud ſcriptores noſtrates, extorosque: non ita plura, quæ nuper eleganti, nitidoque carmine proſecutus eſt cl. Hiſpano-Mexicanus Raphael Landivar in ſua* Mexicana Ruſticatione, *quæ inter legi digniſſima innatantium hortorum pulcherrima deſcriptio, qui in ampliſſimo lacu mirabili arte conſtruuntur, conſtructique non minus mirabili facilitate circumducuntur. Videſis Poætam eximium.*

Conſidet ampla palus, media quæ parte marinos
Et fluxus patitur, ſentit pariterque refluxus,
Inficiturque ſalis duro, ingratoque ſapore;
Parte alia eſt dulcis, fluvii ſtagnantis et æquor
Exbibet. Attollit ſeſe mediaque palude
Regia magnificis fulgens urbs undique tectis,
Pluribus et paſſim ſublatis turribus; Urbis
Mænia ſed circum (res numquam viſa, viretis
Et Babiloniacis magis admirabilis hortis
Penſilibus) latos campos fluitare, virentes
Hinc agros, variis ridentia floribus arva
Ad nutum remis per cærula marmora ferri,
Cernere erat. Gremio conſurgere cernitur urbis
Regalis ſedes, in cujus turre ſuprema
Conſtitit hiſpano cultu, et fulgentibus armis
Heros indutus, liquidas qui pandit ad auras
Vexillum *Caſtella* ferens hinc, inde *Leones*;
Chriſtiadumque nitet vexilli in cuſpide felix
Teſſera, Crux longe primo pretioſior auro.
Miratur Zonam ſpectatrix turba rubentem,
Æquoris et tanti campos, extraque jacere
Herculeas terram rantam, nova regna columnas.
Scinditur in varios hominum ſententia ſenſus,
Et rerum novitas, harum et mens inſcia rerum,
Quique viri ſolvat nodos abſentia, cuique

Eſt

Eſt ingens ratio, et non eluctabilis, ante
Acriter acceptos ſenſus qua quisque tuetur.
Eſſe volunt pictoris opus, cui fingere virtus
Nobilis, audendi quidvis ſit parque poteſtas.
Aſt alii certant, inductas arte jacentes,
Expoſitasque oculis alio ſub climate terras.
Interea mentes perſtringunt culmina montis,
Qui geminus procul apparet, ſed dives uterque.
Hic fluit argenti rivis, fluit ille perenni
Auri fonte nitens. Tantarum copia rerum
Abſtulerat veroque fidem; pingentis et æſtrum
Creditur expreſſum, non terræ, urbesque latentes.
Quæ dum difuſis populis miranda videntur;
Dum ſtupet, ignota proprios et imagine ſenſus
Quisque ſuos ſe poſſe putat tunc jure tueri;
Ecce novus, formaque nova, ſed et ordine quartus
Ingreditur currus; cingit quem deſuper altè
Circulus elatus. Veteres dixere Latini
Æquidium, cum hic ſol æquet noctemque, diemque.
Hunc oculis ultra regio vaſtiſſima ſeſe
Oſtendit, crebri quam montes undique obumbrant; (g)
Planities fæcunda refert verisque nitorem
Flori-

(g) *Peruvii regnum, quo nomine Americæ Meridionalis im-*

Floriferi, fructusque ſimul, quos pomifer offert
Autumnus; varios fructus, incognita terris
Poma polo noſtro ſubjectis; nomina fruſtra
Quærit turba ſtupens; non eſt qui nomina dicat.
Miratur montana jugis sylveſtribus illic
Saxa procul quædam viridi frondeſcere ramo;
Aſt aliis frondis cernit decus omne negatum,
Et ſcopulis, terra ſterili conſurgere in auras
Cul-

---

immenſum tractum innuimus Hiſpanæ dominationi additum. Et Peruvium quidem auro opulentiſſimum ab Franciſco Pizzarro detectum anno 1529. cujus juſſu conſtructa eſt Limana Civitas, dicta que Urbs Regum *ab Epiphaniæ die, quo vel extrui cæpit, vel dedicata eſt: unde etiam triplex ei diadema regium inſigne; cum ſceptrum hiſpanienſe teneret Carolus nobis Primus, inter Rom. Imperatores Quintus. Hiſpanienſem in illis ampliſſimis regionibus ditionem amplificavit ab an. 1557. Didacus de Almagro, coacto Inca (hoc indigenarum Regum nomen dignitatis) qui* Mancus *dicebatur ſubire Hiſpanienſis Regis dominatum. Templum ſupra omnem fidem locupletiſſum ſoli ſuperſtitioſe conſtructum, dicatumque repertum eſt ab Hiſpanis in urbe Cuzco, quod etiamnum extat, et Chriſtiano ritu expiatum ab PP. Dominicanis conſervatur.*

Culmina; ſed fluviis magis hæc flaveſcere longe
Auriferis; formamque parens natura rependit
Externam gazis internis divitis auri.
Per montes, perque arva viri paſſimque videntur
Armati pharetris, et tenſo molliter arcu;
Tempora circundant et verſiculoribus alis,
Succincti lumbos molli vel tegmine, longis
Sive intertextis pennis, queis poplitis usque
Ima tegi decuit cunctis lex indita nobis
Naturæ. Pontus non menſurabilis ullo
Mortali viſu, placidæ ſimilisque paludi
Proſpicitur longe: ſurgit ſed proxima ponto
Nobilis urbs templis, domibus decorata ſuperbis,
Ampla viis, divesque foris, pretioſa metallis.
Cæruleo fulgent cælo pendentia ſupra
Tecta urbis, baccis nitidis, adamantibus, auro
Regia conſertis diademata terna, coronat
Puniceis, albisque roſis quæ nobile ſertum.
Hac, illac curſare procul cernuntur Iberi,
Expurgare ſacro ritu, quod neſcia quondam
Gens ſoli, juſſu regis conſtuxerat auro
Ex ſolido, Templum, veteris miracula mundi
Immenſum ſuperans. Falſi pars Numinis extra
Effigiem templum procul adſportare; ſacræque
Iuſtitiæ Solem verum, pendentis Jesus

Arbo-

Arboris ab trunco ſtatuam fulgentibus aris
Tollere certatim plures, mediisque locare.
Hærebant animi tantarum in imagine rerum,
Et veri quamvis mens inſcia fluctuat anceps;
Dulcia cernentum pertentant gaudia pectus.
Immenſum pelagi tractum circum undique cæli
Limitibus clauſum currus poſtremus agebat. (h)
Seu currus fuerit, ſpecies ſive æquoris ampli,
Sedibus avulsas ſecum quod Cicladas imis
Deferret. Vitreis rubeus ſurgebat ab undis
Phæbus, et ardentes radios vibrabat aduſta

(h) *Inſulæ ſcilicet ab Philippo Hiſpaniarum Rege eo temporis imperante, quo detectæ ſunt, dictæ* Philippinæ *ad Aſiam pertinentes, quarum præcipuæ à Magallanio repertæ, et has inter Luzonia, inqua Prorex hiſpanus, et Archiepiſcopus Manilam urbem incolunt. Sunt numero plurimæ, aliquot deſertæ, aliquot a Mauris obtinentur, aliæ diviſam ſuſtinent dominationem. Sub æquinoctio conſtitutæ plures acribus ſolis ardoribus torquentur, minus propterea ſalubres, fertiles tamen ut plurimum habentur, cum fructibus quacumque anni tempeſtate abundent. Baccæ, Succinum, goſipium, aromata earundem præcipuas divitias, mercaturamque conſtituunt.*

Ab Zona contra crebris freta conſita terris.
Non totidem Actiaca fervebant æquora pugna
Navibus, Auguſti poſtquam, generique ſecundis
Ominibus claſſes Agrippæ puppibus altis
Certabant, ſævus quas ſecum Antonius ante
Victor ab Auroræ pupulis ducebat, eois
Gentibus inſtructas, opibus Phariiſque ſuperbus;
Quot terras innare mari, ferrique videres
Non perturbato tot fluctibus ordine primo,
Pingue ſolum, vitreis ſemper vernantia rivis
Arvaque ſunt terris his omnibus; arbore pendent
Perpetuas inter frondes ſylveſtria poma,
Impletura manus anni quo tempore cumque.
Has inter naves ſignis cernuntur Iberis
Tendere iter velis: nunc his tentoria, nunc his
Extolli terris aras, Magnoque Parenti
Velatum libare cibi ſub imagine Natum.
Cernere erat quanto ſtrepitu, curſuque veloci
Infernæ furiæ, volucrum nigri agminis inſtar
Aufugiunt, fert ſacra Deo cum vota Sacerdos.
Dum populi currus oculis, ac mente ſequuntur,
Abdita tantarum cupidi cognoſcere rerum
Senſa; ſubit ſeries civili ex ordine; claſſis
Artificum, ſua quæque ſequens vexilla, per auras
Sole ſub illuſtri volitantia. Mille colores

Mille

Digitized by Google

Mille nitent formis: telas diſcreverat auro
Docta manus iſtis; argento nexuit illis
Intertexta levi quæ fulgent ſerica filo
Vela procul Phæbi radiis, auroque trilici.
Nec tantum ſignis, et verſicoloribus artes
Internoſcuntur vexillis; ſtemmata quisque
Ordo pinxit acu, proprii queis forma laboris
Apparet, claſſesque ſimul diſcriminat omnes.
At qua tendit iter regalis pompa, plateis
Ampla tribus ſurgunt, veteres imitata triumphos,
Invicti monumenta Ducis tribus arcubus; inque
His inſcripta notis totidem, totidemque figuris
Apparent quotquot victor modo depulit hoſtes.
In plano primi: Claſſis Northmanna videbat
Attonitæ ſimilis, flammis abſumier, undis
In mediis Socias naves, quin ulla valeret
Ars, vel cura virûm triſti defendere fato,
Quam ſemel arripuit peſtis vulcania, navem.
Parte alia tundit ſaxorum grando carinas,
Quæque fatiſcentes, mediis in fluctibus una
Exponunt et tranſtra viris, et milite nautas.
Incolumes nantes, immiſſis lintribus undis
Excipiunt; iterum veniens ſed ſaxeus imber
Pondere derrudit miſeras in cærula lintres.
Fragminibus, tabulis exæſtuat æquor aduſtis;

Inſcriptumque refert arcus in fornice carmen:
Servatum ob regnum funeſta ab clade trophæum:
Pallantes Arabes, et Principis ora paventes,
Exutosque gravi præda, paſſimque jacentes
Semineces, cæſis inhoneſto vulnere tergis;
Oppida capta manu, vicos, devotaque flammis
Arva arabum rapidis; ſumptas de gente nefanda
Terribiles pænas ob fractæ crimina pacis
Exhibet elatus pario de marmore fornix
Ordinis alterius. Miſſos ex urbe videres
Orantes veniam, leges et fæderis illas
Quas victor dederit, ſpondentes jure futuras
Jurando æternas. Ut regni finibus ultra
Protractis, domitis remeabat victor ab Afris.
Deſcriptumque notis auratis fornicis arcu
Afræ perſidiæ monumentum nobile fractæ.
Arcus et in circo ſurgebat Tertius amplo,
Non conceſſurus ſublimibus arcubus, olim
Extulerat quos Roma Tito, Patrique, Severo,
Vel Constantino, domitis cum gentibus, arces
In Capitolinas præcincti tempora lauris
Victores currus agerent. Qui ſigna Nepotis
Principis adverſus ſortem, fatumque ſecuti,
Erroris veniam, libertatemque Ramiri
Dono ſervarant; ingentem ad sydera molem

Extu-

Extulerant, animi grati, quæ pignus, et eſſet
Principis ingenii mitis memorabile ſignum.
In medio collem turmis circumundique cinctum
Obſidione gravi poſuere; in colle ſuorum
Caſtra fami devota, ſiti, gladiive furori
Juſſerit ut Princeps clauſos irrumpere in hoſtes.
Aſt hunc parte alia miſeros ad dulce vocantem
Officium pacis, ſuadentem ponere ferrum,
Infauſtis avibus captum, dantemque videres
Supplicibus pacem victis; hos tradere flammis
Certatim quæcumque animi ſunt ſigna rebellis;
Remque notant cives deſcripto carmine totam:
Sanguine pro ſalvo civili nobilis Arcus.
At jam procedit Sacrorum turba Miniſtrum
Ordine quæque ſuo diſtincta, et veſtibus: omnes
Incedunt bini: palmas funalia complent
Omnibus, et ſacris reboat cum laudibus æther.
Jam procul effulget cætus venerabilis oſtro
Pontificum, quos mitra nitens, et plurimus auro
Albis indutos tunicis velabat amictus.
Hi pedites circum ſtipant tentoria, ritu
Æterni regis procerum; funalia geſtat
Quiſque manu, paſſu gradiens lentoque, gravique
Ad numerum, dulces inter, feſtoſque lyrarum
Concentus, citharæque, chelys, calamique, tubarum.

Et ſidium varii generis; tentoria inumbrant
Divini ſedem Regis fulgentibus aptam
Sardonichis radiis, adamantibus, atque smaragdis
Et baccis nitidis, flammasque imitante pyropo;
Et cæli ſpeciem referentem, fingere qualem
Mens humana poteſt, adscitis undique ponti
Divitiis; quas terra tegit, quas æmula ſolers
Naturæ vis ingenii, ſublimis et artis
Invenit ſtudium. Defertur regia ſedes
Bis ſex nixa humeris Sacrorum rite Miniſtrum.
In medio, nitido ſol ut flammeſcit Olimpo,
Candenti tectum fulget velamine Numen
Corda ciens, ſtudiumque pium, menteſque verenda
Relligione movens in cultus ipſius; octo
Perpetuo quod thure colunt fumante Miniſtri
Collucent centena ſimul funalia circum;
Et voce, et fidibus grata dulcedine plenis
Auditur cæleſte melos, quo ſuavius auri
Nil ſonat in terris, animos carpitque, beatque.
Pontificum cætum ſupremo ab Præſule clauſum
Pone ſequebatur, poſito diademate, ſceptro,
(Quæ regni Proceres referebant ſigna) Ramirus,
Purpureo quamvis corpus velatus amictu;
Regali rituque caput detectus honeſtum
Demiſſis oculis: ut quem præſentia regis

Admonet æterni, regum ſuper ardua ſceptra
Eſſe Dei imperium, cujus mortalia nutu
Omnia volvuntur. Lateri quoque mucro ſiniſtro
Aureus hærebat; dextra funale ferebat;
Omnibus his ſeſe famulum, vigilemque futurum
Obteſtans regum regi, dominoque miniſtrum.
Paſſibus haud æquis, ſtudio ſimilique Parentem
Proſequitur Princeps, regni ſpes altera Iberi
Ordonius, forma egregius, primoque juventæ
Flore vigens: procerum primi, delecta ducumque
Bello invicta phalanx, quam plurima laurus obumbrat,
Stant circum, regisque pii documenta ſequuntur,
Regis ob imperium, ſacrum ſtudiumque Ramiri
Pompa triumphalis victori eſt reddita Jesu.
Namque pius, reddendus honos, et gloria Chriſto
Omnis, ait, noſtro, cujus nos nutibus olim
Vicimus; auxilio cujus, non viribus ullis
Noſtris, et tulimus plenos ex hoſte triumphos,
Et regere imperio populos ſperamus, ab ipſo
Commiſſos nobis; noſtri geſta omnia regni
Ab Jesu incipiant, Jesu claudantur eodem.
Agmen ſic urbis luſtravit compita poſtquam
Ampla pium, primum repetebat nobile templum,
Unde tulit greſſum, gremio exceptumque patenti,
Regis ut æterni ſolium ſublime ſacrata

Ará depoſuit: ſacris qui præſidet urbis
Continuo Præſul dignas perſolvere grates
Aggreſſus, ſuperum Patri modulamine vocis
Præcinuit carmen laudum, quod rite ſecutus
Cantorum, lyricumque chorus templum omne replebat
Dulciſono ſacrum celebrantum carmine Numen.
Donec perfectis juſto ſic ordine rebus
Occiduus tandem proceſſit veſper Olympo.

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER QUARTUS.

ARGUMENTUM.

Dat populis feſtos ludos de more Ramirus.
Taurus in ingentem deſcendit primus arenam,
Suſpenſos Oculosque tenet, mentesque tuentum.
Ludrica huic Juvenum ſuccedit pugna, rapitque
Immenſi populi ſtudium, cum frangit et haſtas,
Et certos metam contra cum dirigit ictus.
Armati facibus curſus ineuntque recurſus,
Lætaque veloci præbent ſpectacula motu.

Poſtera jamque dies claro ſurgebat eoo, (a)
Humentemque polo Phœbus dimoverat umbram;
Tympana cum, litui, ſonitu quoque cornua rauco
Illu-

(*a*) *Ritum ſequimur nationum omnium in novi Regis inauguratione feſtivos ſuos ludos celebrantium. Ex multis, quibus delectari noſtrates ſolent, tres dumtaxat ſelegimus, judicio noſtro præcipuos, eosque deſcripſimus quales partim vidimus, partim mente concepimus, aut ab aliis accepimus.*

Illuxiſſe diem populos monuere, theatra
Quo ludis celebranda, quibus gens inclita bello
Exercetque animos, ſummis redditque periclis
Impavidos; juvenesque docet venientia flexu
Vulnera quo poſſint vitari corporis, enſis
Vibrandus qua lege ferum contra æreus hoſtem,
Excidit huic quoties, tenuesque evaſit in auras
Ictus in adverſi directus pectoris imum:
Acribus in pugnis uſus ſit quantus equorum,
Et qualis, turmas inter certamen equeſtres
Si ingruerit, pedites acies ſeu fundere certent:
Quove fugæ ritu celeres vertentur habenæ,
Laudandæ, juſtæque fugæ, quam ſæpe triumpho
Æquiparant, qui facta duces mavortia tractant.
Urbe erat egreſſis porta, quæ reſpicit auſtrum,
Eſtæ inter fluvii ſurgentis brachia, pratum
Gramine jucundum multo, quo lecta juventus
Exercere ſuas patrio de more paleſtras,
Et ludos, curſusque leves, pugnasque ſolebat,
Amphitheatralis ritu vaſta æquora circi
Claudebat circum denſa arbore conſitus agger
Solis in ardentes radios tutamen, arenæ
Magnus honos, oculis ſpecies gratiſſima viſu.
Aggeris herboſi cingebant culmina circum
Roboribus firmata pigris tabulata, frequenti

Unde datum populo ludos diſcrimine nullo
Cernere, feſtivis remaneret ut area ludis
Libera. Depictis longe pars antica fulget
Aulæis, velis et verſicoloribus inter
Se arborei rami nexi ſunt flantibus euris
Ludibrium, conſpectum oculis gratumque miniſtrant.
Excivit jam fama volans, et traxit ab oris
Omnibus Heſperiæ juvenes: pars laudis amore
Ludrica victuris dandæ certamina, pars ut
Feſtivam pompam, ludos feſtosque videret.
Appulerantque viis plenis qui proxima regno
Oppida Luſa colunt, quos dives Bætis, et Anas
Fæcundant populi: movet hos certamen equeſtre
Ante alios ludos. Taurorum pugna Pirennis
Usque jugis plures adduxit. Cantaber acer,
Pompejique procul cernit qui mænia magni
Adfuit, et Vaſco bello imperterritus; undas
Quique bibit claras rapide labentis Iberi;
Auguſtamque manus quæ Cæſaris incolit urbem;
Atque Auſetanus taurorum prælia ludis
Omnibus anteferens; miſit quoque Barcino cives,
Barcino plaudendas inter felicior urbes,
Inclitaque Auſoniis, Grajiſque Valentia chartis,
Urbs fæcunda ſolo, nitido gratiſſima cœlo.
Undique viſendi ſtudio delecta juventus

Vene-

Venerat: armorum quando furor omnis ubique
Ceſſarat, cives compoſta et pace quieſcunt,
Heſperio permixtus Arabs in prælia venit.
Complebat lætus tabulata ampliſſima cætus;
Per mediam proceris cum Rex ſtipatus arenam
Procedit, laterique hæret Regina ſiniſtro,
Luce nitens plena, qualemque ab fratre recepit,
Orbi cum toto collucet Cynthia vultu.
Tollitur ab cætu feſtivus in æthera clamor
Principis adſpectu tanti, plauſumque ſequuntur
Dulciſoni litui, ſtrepitus feſtusque tubarum.
Poſteaquam reges ſolio ſedere parato
Intextis auro gemmis; et martia rauco
Incæptos ſonitu monuerunt cornua ludos;
Protinus ab ſtabulis emiſſus taurus apertis,
Horribilis viſu, flammas et naribus efflans.
Non tam præcipiti jactu de nubibus atris
Excutitur fulmen, quam circi corniger æquor
Confecit curſu. Sed cum clauſa omnia circum
Adſpexit, magnis populi clamoribus hæſit
Attonito ſimilis; crebris mugitibus auras
Inde implet, vibratque aures; radicibus imis
Evulſas herbas bifido pede jactat ad æthra.
Conſtitit ante feram Luſus, cui Braccara mater,
Corderius, corde impavidus; velamen et album

Objectat tauro ante oculos: hic fixus in uno
Immotusque loco perſtat trux, lumina figens
Corpus in adverſum juvenis, qui voce laceſſit,
Irritatque feram, preſſis dans ſibila labris;
Et ſtimulos iterans crebros, quæ denique (nervo
Acta ſagitta velut tenſo) volat ignea contra
Inſtantem juvenem: venienti hic impete cæco
Linquit iter totum, deflexo corpore, velox
Statque loco, taurumque vocat jam præter euntem.
Corniger accenſus furiis, rectoque mucrone
Rurſus in audacem fertur violentius hoſtem,
Directosque ictus effudit rurſus in auras.
Intonuit plauſu caveæ conſeſſus, et alto
Raucarum juveni facta eſt clangore tubarum
Copia ſternendi taurum uno vulnere. Signum
Agnovitque pugil, vaginaque eripit enſem
Exiguum, ſtygiis ſed tinctum ſæpius undis;
Rejecit velum, ſtrictoque mucrone ferocem
Expectat taurum venientem. Magna theatro
Tunc, pavidis animis, ſunt facta ſilentia: pugnæ
Exitus incertus, vitæ et diſcrimina noſcunt.
Stat juvenis fixis oculis vigilantibus omnes
In tauri motus. Demiſſa fronte petebat
Corniger adſtantem lethali vulnere, fixit
Cum juvenis gladium media inter cornua; partes
Divi-

Dividit in geminas cranium; procumbit humi bos
Non ſecus ac ſubito percuſſus fulmine. Cælum
Exultat plauſu, feſto ſtrepituque theatri,
Et primum celebrant lituique, tubæque triumphum,
Dum trahitur taurus victoris laurea Luſi.
  Solvitur inde ferox multis e millibus unum
Quem legit, taurus, fæcunda Xarama, cuique
Corporis eſt gracilis ſpecies, color igneus, oris
Adſpectus dirus, ſurguntque in fronte mucronès
Antrorſum curvi; ſolitumque armenta ciere
Ad pugnas, etiam cornu tentare magiſtros,
Iſti ferrato tenuerunt carcere vinctum.
Præcipiti ut raptus curſu luſtravit arenam
Torvus, et implevit multa formidine circum;
In medium currit velox, ubi Cantaber acer (b)
Fixerat anguſtam ſedem, tutusque ſedebat
Solus in aggreſſus tauri, quem vocibus urget.
Expavere omnes, gelidusque per ima cucurrit
Oſſa tremor, curſus Juvenem cum taurus in unum
Dire-

(*b*) *Miram hanc in tauros dexteritatem, qualem exponimus, oſtendit ætate noſtra pluribus in Hiſpaniæ urbibus non quidem Cantaber, ſed Hiſpano-Americanus, qui ea dedit hac in re ſpectacula, quæ incredibilia videbantur.*

Direxit, pronaque petit jam fronte ſedentem.
At non obſtupuit tanto in diſcrimine durus
Cantaber, arrepto ſed juſto tempore (taurus
Scilicet in vulnus direxit cornua quando)
Purpuream fixit connixus calce ſiniſtro
Fronte roſam, dextro ſaliens pervadit, et omnem
Cornigerum menſus, media ſe ſiſtit arena.
Explicat inde levem, mira ſed et arte volutum
Funem, quo lumbos præcinxerat, his cito firmum
Efformat laqueum, laqueoque armatus in hoſtem
Fertur ovans, jactumque oculis bene menſus; utrique
Implicuit tauri, et religavit vincula cornu,
Perque foramen hians in ſecto robore terrà
Acriter infixo, conjecit vincula, torno
Quæ implicuit paulum revoluto. Corniger haſtis
Impatiens, pedibusque ſtudet, ſaltuque frequenti
Rumpere, vel ſese ſtringenti ſolvere fune
Incaſſum: trahitur ſenſim, multumque reluctans,
Dum juvenis volvit ſolers verſatile lignum.
Roboreo tandem hæſerunt ut cornua trunco,
Nec potis eſt taurus religatam vertere frontem;
Quæ ſub ſede latent, educit ephippia, taurum
Cantaber et ſtravit phaleris, ſtapiasque valentes
Subjecit pedibus fulcrum, calcaribus armat
Inde pedes, et terga celer ſuper ardua ſaltu
Sedit

Digitized by Google

Sedit eques: magnis exultat plauſibus æther;
Horrendum mugit taurus. Nil Cantaber auſus
Cornigeri curat, poſtquam retinacula torta,
Queis regeret taurum rabido conjecerat ori,
Atque novo prudens religarat cornua fune.
Prima ſed abrumpit ferro, queis vincula trunco
Corniger hærebat. Furiis agitatus iniquis
Non tam præcipiti rapiebat in æthera ſaltu
Quondam Morgandum Hippogriphus (vera reportant
Somnia ſi vatum) tota quam taurus arena
Saltibus inſolitis deſævit. Poſtica membra,
Antica nunc ſurſum tollit, nunc ille deorſum:
Parva ut cimba mari turbato fertur; et omnes
Explorat, tentatque vias, ſi tergore poſſit
Excutere audacem ſeſſorem: ſternere prato
Sæpius et viridi conatus membra, ſed urget,
Nec ſinit hoc juvenis fodiens calcaribus armos
Acrius. Ille fugam capiens velocior euro
Ter circum tabulata volat, mugitibus auras
Horrendis implens. Conceptis ignibus imo
Donec corde novis, et queis non amplius arcta
Viſcera ſufficiunt, diſruptus concidit arvis
Exanimis, viridi et jacuit revolutus arena.
Feſtivum circus clamorem ad ſydera tollit,
Auditurque cito plauſus, quo tympana, rauci

Et litui triplici celebrant certamine cantu
Victorem juvenem, quo non audentior alter
Surrexit tauros contra, non doctior alter
In grajas umquam, aut latias deſcendit arenas.
At poſtquam circi conceſſit murmur; ab altis
Emiſſus ſtabulis immani corpore taurus
Tertius; huic atro pendent palearia mento
Crure tenus, cervix ingens, et pluribus annis
Oſtenſurus adhuc juveniles corpore vires
Acribus excitus ſtimulis. Delectus ut eſſet
Innocuus turbæ ludus, cupidamque juventam
Laudis, et obtentæ ſtimularet munere palmæ.
Nam tereti pendent et tintinnabula collo
Aurea, permixtis aliis, quæ plurima ſulgent
Argento; multis ſplendent et cornua gemmis,
Inſertis auro, cornu micat inter utrumque
Gemmatum, pretium victoris nobile, ſertum,
Ut curſu tenuit medii vaſta æquora circi,
Conſtitit attonitus taurus, tinnitibus aures
Aſſiduis ſtupefactæ, quo ſe vertere cumque
Tentarit, prohibent curſum; clamorque theatri
Cornigeri ad vultum gemmis, auroque nitentis
Implebat torpore feram. Tabulata relinquit
Excita mox puerúm pretioſi turba metalli
Muneribus, gemmis, et palmæ concita laude;

Libera

Libera nam cunctis rapiendi eſt facta poteſtas
Regis ab imperio, pugnaxquæ audacia ſuadet.
Circumſtant pueri taurum, qui cingier hoſte
Cominus armato non fert impune: ruentes
Se contra aggreditur: viridi proſternit in herba
Nunc hos, nunc illos, palmæ quos cæca cupido
Impulerat propius; populus riſitque cadentes,
Inque novos auſus ſtimulat per gramina lapſos,
Ingenti riſu. Duo jam crepitacula dextra
Ruſticus, aſturicis veniens de montibus, audax
Cæperat, et gemina ſperabat laude potiri;
Vellere cum nixus digitis utrumque reluctans
Senſit, et admonitus vertit vi corniger arma
In furem, fugit iſte celer, celeremque fatigat
Pone ſequens pronis in vulnera cornibus, et jam
Jamque petit, tergumque premit mucrone coruſco.
Inſtantis monitus ſonitu crepitante pericli
Aſtur præcipitat curſum; ſpes proxima ſaltu
Ardua vallorum ſuperandi culmina, mentem
Urget, datque animos; tres et non amplius ulnas
Ab vallis aberat, molli cum lubricus herba
Concidit infelix, poſtquam titubata tenere
Longius haud potuit madido veſtigia prato,
Jactis incaute ludis puerilibus undis;
Incubuit lapſo taurus, rictuque requirit,

Atque

Atque oculis torvus, dederit num membra labori
Exanimiſve gravi jaceat ſub vulnere preſſus.
Taurini juvenis moris bene conſcius auras
Ducere vitales, quantum potis abſtinet, et ſe
Exanimem ſimulat. Tali ictus fraude feroces
Effugit. Interea ſocii cinxere corona
Cornigerum rurſus, nunc hoc, nunc cominus illo
Expoliant ſenſim pretioſo munere. Pelli
Aſt quoties infixa magis convellere certant
Dona, furit toties, ſævos et concipit ignes
Bellua. Gemmatum, torvaque in fronte coruſcans
Multo auro, ſertum juvenis ſuccenderat æſtus,
Qui Heſperiis permixtus Arabs in ludrica tutus
Prælia deſcendit; munus, quæque inde ſequetur
Gloria, ſi tali potietur munere, pellit
In facinus. Spoliat taurum dum cætera pubes
Ipſe ante ora tumens, oculis avidisque, Maconem
Multa ſuum fruſtra teſtatus, conſtitit, aptum
Dumque putat prædæ rapiendæ tempus adeſſe,
Extendit furto dextram; ſed tollit in altum
Taurus mucrones, Arabis dextramque ſiniſtro
Configit cornu; vertentem terga, fluenti et
Sanguine rorantem rabida mox percitus ira
Inſequitur, pronoque petit latera ardua cornu;
Armaque dum tollit perfecto vulnere, in altum
Scapulis

Suſtulit arreptum juvenem, cui faſcia lumbos
Verſicolor multo cingens babilonica nexu,
Ritu Arabum, fuit exitio, iſta namque prehenſum
Ore fremens taurus plenæ oſtendebat arenæ
Exanimem, mortemve oris pallore gerentem.
Donec ſæpe caput concuſſit in aera fruſtra
Cornua ut expediat duro jam pondere; tanto
Cornibus hærebat nexu fatalis utrique
Faſcia. Relliquias vitæ ab diſcrimine tanto
Nec ſalvaſſet Arabs, juvenum ni turba piorum
Ferret opem promptam. Senii namque accola montis
Gemmiferi, acceſſit primus, qui nobile ſertum
Eripuit ſubito tauro, palearia dextra
Permulcens, dixitque ſuum; mox cornua vittis
Exſolvit tortis, quibus irretita manebat
Faſcia, qua taurum religavit poſtea, circum
Et duxit facilem magni per valla theatri,
Cetera dum ſocii rapiunt ſibi munera pugnæ.
Ærea jam crebro reſonabant tympana pulſu
Et propius lituique cavi, cornuque retortum,
Buccina et horriſono mavortia prælia flatu
Adventare cito patres, juveneſque monebat;
Cum verſis oculis reſerata in clauſtra theatri
Binæ equitum turmæ biniſque coloribus inter
Diſtinctæ ſeſe, binis ductoribus actæ

Cer-

Cernuntur lento paſſu procedere circo.
Bis ſeni juvenes ductorem quemque ſequuntur,
Egregii forma juvenes, et flore juventæ
Vernantes primo, delecti ab ſanguine priſco
Magnanimum Heroum. Veſtis ſed non color idem
Omnibus eſt pueris: rubet his, illisque vireſcit
Veſte color pulchra: ſonipes par omnibus, atque
Diſtinctus ſolis maculis, phalerisque coruſcat
Ornatus paribus. Primam in certamina turmam
Ducit ovans, Regum ſtudium, populique voluptas
Ordonius Princeps, maculis quem bæticus albis
Portat equus. Froilus clara de ſtirpe Gothorum
Pone venit, turmas equitum ducitque ſecundas,
Vectus equo, cujus maculoſæ tergora tigris
Oſtendunt pellem. Juvenis quo dulcior alter
Non fuit, et qui virtutes, vultumque referret
Reccaredi atavi melius. Mucrone coruſcant
Ductores ſtricto: procedunt ordine bini,
Inter ſe ſpatiis disjuncti æqualibus. Ora
Atque oculi populi immenſi figuntur, et hærent
Attoniti in pueris, finem neſcitque voluptas.
  Aſt illi rectà tendunt, ubi regia ſedes
Aſtro reſplendet gemino, quæ Martis alumnis
Ut ſacri morum præſcribit regula, fronte
Scilicet enſe levi tacta, pronaque ſalutant.

Exci-

Excipiunt plauſu Reges, plauſuque viriles
Dant animos, acuuntque novas in pectore vires.
Poſtquam omnem læti conſeſſum, oculosque ſuorum
Luſtravere in equis, et rauco buccina cantu
Inſonuit; gladium vagina quisque recondit
Ad numerum: parma veſtit, munitque ſiniſtram,
Et fragili dextram pariter quisque inſtruit haſta.
Omnibus in promptam pugnam ſic rite paratis,
Auditaque tuba, geminas ſe ſcindit equeſtre
In partes agmen: ſpatia et contraria curſu
Arripiunt celeres; ſigno rurſusque vocati
Continuere fugam; verſis mox frontibus, agmen
Reſpicit adverſum veniens; et tempore in uno
Conſiſtunt, campi ſpatium latumque relinquunt.
Utraque turma ſimul tota ſe fronte tuendam
Objicit oppoſitæ, ſimulans concurrere, vertit
Terga modo nectens curſus, aliosque recurſus;
Atque novo ad pugnas acies nunc collocat omnes
Ordine, nunc quadro ſiſtit, nunc agmine longo
Eminus infeſtas protendens hoſtibus haſtas.
Sæpius ut tandem diverſos orbibus orbes
Impediere; tubæ ad ſignum concurrere tempus
Admoniti; rectis adverſa in corpora telis
Una omnes tendunt, laxisque feruntur habenis
Præcipiti curſu: ſimul omnes ægida telis

Objiciunt; haſtæ ſtrepitu franguntur, et auras
Implevere ſimul, texere et fragmina cælum.
Fit plauſus circo magnus, primamque ſequuntur
Innocuam litui feſtivo murmure pugnam.
   Æquore in herboſo, mediaque in parte theatri
Alte confixus ſolido de robore truncus
Surgebat; trunci ſupremo in vertice vultus
Horribilis viſu: Caci frontemne referret,
Sive Meduſeam, varia eſt ſententia, longis
Et nobis multo res eſt obſcurior annis.
Ore procul, quodvis fuerit, viridique jacebat
Annulus in prato, fulvo ſpectabilis auro.
Quiſque puer, curſu rapido, mucrone ferire
Ora jubebatur primum, dein cuſpide teli
Trajicere effulgens, et ſecum tollere ſertum.
   Alterni curſus ineunt, primuſque Larinus
Agmine ab Ordonii procurrit: præterit ora
Intacta, et vulnus tenues confixit in auras,
Multa dolens ſecum. Veremundus ab agmine fertur
Intrepidus Froilæ, vultùs et perculit aurem,
Annulum at infeſto currens attollere ferro
Non valuit. Florindus ovans confixit acumen
Ferratos inter dentes, fixumque reliquit
Præteriens curſu rapido: ſublatus et haſta
Circulus e terra, ſubito ſed lubricus imam

Tangit

Tangit humum, et circi plauſum fruſtravit hiantis.
  Luna celer, fortes fodiens calcaribus armos
Quadrupedis, laxis rapidus dum fertur habenis,
Intentis que oculis in metam dirigit haſtam,
Labitur infelix; evulso in gramine prati
Ungula quadrupedis namque irretita coegit
In motum inſolitum corpus; tergoque ſedentem
Excuſſit pronum, cum flexo poplite terram
Os tetigit. Juvenis, fortisque miſertus iniquæ
Confeſſus, magnis poſcit clamoribus uti
Sorte nova puero ut liceat. Dant agmina; rurſus
Et curſum juvenis rapiens, in fronte mucronem
Confixit media; captum ſed acumine ſertum
Non tenuit, palmamque alii, laudemque reliquit.
  Nec numero fuit ab tanto, qui cuſpide frontem
Signaret mediam, ſimul ab tellure coronam
Tolleret, et pleno gauderet victor honore.
Soli reſtabant Ductores agminis ambo,
Quos ſtimulat pariter, pariterque in prælia cogit
Corda pavor pulsans, optatæ et gloria laudis.
  Ordonius Froilæ tentandæ fortis honorem
Concedit primum. Stapiis hic nixus, et haſta
Directa, ſpatium menſus, tempusque ſecundum,
Præcipiti raptus curſu, mucrone ſiniſtrum
Confixit vultus oculum, ſertumque deinde

 Arri-

Arripuit telo, firmum tenuitque, manuque
Sublatum oſtendit populo. Clamore reſultant
Feſtivisque leves plaudentum vocibus auræ
Victorem Froilam referunt. Sed rurſus in herba
Annulus expoſitus, ſortem poſtremus ut ipſe
Ordonius tenet. Non vires, ſpeſve vigentes
Magnanimo minuit juveni ſors fauſta petentis
Jam laudem pugnæ; pacato corde ſed acri
Fertur in os curſu, mediaque in fronte minaci
Una oculis, teloque fodit ſpectabile ſignum.
Inde rapit ſertum, raptumque per omnia ducit
Valla theatralis circi, manibusque Parentis
Depoſuit, charis defigens oſcula palmis.
Tunc fidibus, lituisque, tubis, et plauſibus æther
Conſonat: Ordonium primum ter præco vocavit
Victorem, media vultum quod fronte mucrone
Signarit, ſertumque ſimul ſibi ſumpſerit, unus.
Declarat Froilæque locum virtute ſecundum
Deberi ſolum; puncto quod vulnus ab uno
Detorſit frontis; ſertum licet aureum ab arvis
Extulerit, victor populis oſtenderit alte.
Præmia tunc pueris diſtinctis ordine ferri
Rex jubet; et Froilæ præcingit tempora ſerto
Ipſe manu, ſerto pretium quod nobile pugnæ
Ordonii fuerat: Patris plauſuque ſecundat
Confi-

Conſilium ante alios Princeps placidiſſimus omnes,
Victoremque vocat Froilam certamine primum;
Sponte ſibi partum ſocio et concedit honorem,
Dupliciter victor, cedit dum præmia palmæ.
Chara Pater gnato fronti dedit oſcula, dicens:
Sunto tibi hæc partæ victori munera laudis.
Inde alios onerat donis, et quisque recepit
Quæ, quamvis avidi, ſuperant vota omnia cordis.
  Interea occiduis Phæbus ſe condit in undis,
Et nox adveniens fuſcis amplectitur alis
Amphitheatralem circum, quem multa coronat
Ex veteri ritu flammis pinguiſſima tæda.
Et dum turba frequens, anceps luduſne ſequatur,
Quis ve putat; magni reſerantur clauſtra theatri,
Ac præeunte choro complentum vocibus auras
Dulciſonis, bini procedunt ordine lecti
Bisquini juvenes præſtanti corpore; thorax
Omnibus eſt albus, manicæ albæ; tænia veſtem
Plurima verſicolor longe diſcriminat albam.
Ab lumbis pendet flexus ad poplitis usque
Cæruleus, ventis undans, ſubtilis amictus;
Baltheus ex humero, nectit quem fibula gemmis
Aurea collucens nitidis: in vertice criſtæ
Purpureæ ſplendent, armant funalia dextras.
Procedit ductor paribus ſpectabilis armis,

Atqne pedum pulsu conducens agmina juſtos
Ad numeros lituique cavi, calamique ſonantis.
Poſteaquam lento gradientes ordine, valla
Luſtrarunt juvenes; habitusque eſt Regibus omnis
Juſtus honos facibus, demiſſa et fronte nitenti;
Se ſiſtunt circo in medio; ſignoque recepto
Indulgent choreis, revolutis arte, cientque
Ad ſiſtri, lituique ſonum, modo fædus amicum;
Et modo, converſis ſtudiis, mavortia fingunt
Prælia, ſeque petunt infeſtis ignibus. Una
Toto omnes, raptis collucent corpore flammis,
Conticuitque chorus, veluti formidine captus
Ingenti; clamor populi ſublatus ad auras.
Utque novo rurſus ſtrepuerunt cornua cantu,
Extemplo juvenum, ſomno velut excita, turba
Concurrit, choreas alias, ſaltusque celebrat
Compoſitos, motuque pedum, flammaque micante
Diverſos populis oſtendunt ordine ludos,
Difficilesque magis, quibus et jucunda voluptas,
Et quandoque oculis etiam timor additur ingens.
Inde chori ad ſonitum, juvenes inſueta vocantis
In celeris, rapidiet motus tentamina, circi
Quatuor in medio conſiſtunt; corpora jungunt
Seſe inter, manibusque manus nectuntur, et hærent;
Protendunt alte funalia: tergora ſaltu

Inſi-

Inſiliunt horum pueri tres; hos ſuper ambo
Adſurgunt, validos humeros et calce fatigant.
Quique ſuper jam ſolus erat, velocior omnes
Ante puer, raptim, volucri que ſimillimus, uno
Conſtitit amborum ſaltu ſuper ardua terga,
Attollitque facem : flammis tunc pyramis ardens
Viſa oculis; perturbato mox ordine, turris
Apparet, donec ſenſim plano æquore turba
Conſtitit, ingentemque rotam confecit, et inde
Circumagi hæc cæpit, flammanti concita gyro,
Ad numerumque chori cum ſe rota magna reſolvit;
Alter in alterius confeſtim cernitur altis
Inſediſſe humeris, pugnæ et ſimulacra ciere.
Ponere cum ludis finem nox humida ſuaſit;
Feſtivos tollit plauſus ad ſydera lætus
Conſeſſus populi, ſequitur quos protinus omnis
Cantorum, calamique chorus, ſtrepitusque tubarum
Dulciſonus. Juvenes, qui mox certamen equeſtre
Pugnarunt, ſtrictris præcedunt enſibus, amplam
Expediuntque viam venientibus, agmine circum
Principibus cinctis procerum. Funalia noctem
Exſuperant, pedites geſtant quæ multa miniſtri,
Plurima quæ patulis collucent urbe feneſtris.
Regia ſic demum comitatus tecta Ramirus
Mille inter plauſus populi, procerumque ſubibat;

Largaque diſtribuit poſtquam luſoribus æque
Præmia, felicis dedit et certiſſima ſortis
Pignora tot populis, tanto ſub rege futuris;
Conticuit tandem tectis fragor omnis, et urbe
Feſtivi plauſus media jam nocte quierunt.

FINIS LIBRI QUARTI.

LIBER

Digitized by Google

LIBER QUINTUS.

ARGUMENTUM.

Perfectis Ludis, Legatos Corduba mittit,
Fæda puellarum qui vectigalia poſcant.
Rejiciuntur. Atris Abderramanus ab Afris
Evocat auxilio turbas, et viribus addit
His vires, totis potuis quas cogere regnis.
Collatis ſignis, tum quærere caſtra Ramiri
Inſtituit magna tumidus ſpe, et triſte minatur
Excidium terris, mortem vel vincula genti.

HAc celebrata tenus magno certamina Regi;
Utque extrema ſolet ludorum gaudia luctus
Uſurpare ſibi; miſeris mortalibus ulla
Ne ſit mortalis res omni parte beata:
Dum lætis regni celebrant exordia ludis
Heſperii, dives mittebat Corduba, regum
Regia Maurorum ſedes, primo ordine lectos
Sex oratores. urbem qui præpete curſu
Adveniunt, et rege palam qui ſiſtier orant.
Poſtquam introgreſſi, et coram data copia fandi;

Longa

Longa ætate gravis Muleaſſus, et inclitus armis
Quæ mandata ferat, tumido ſic explicat ore.
Rex Abderramus, ſubſunt cui maxima quotquot
Regna pirenneis florent ab montibus, usque
Ad maris immenſos tractus Athlantidis, et quem
Tot populi, genteſque colunt, et poplite flexo
Imperium accipiunt cujus millena ſub armis
Agmina pugnantum, bellis utque extulit arma,
Heſperiæ terrore gravi tremit excita tellus;
Armis cum poſſit quæſita repoſcere jura;
Et jurata diu ſibi vectigalia centum (a)
Pacta puellarum, renuit quæ ſolvere nuper
Ille cui cordi pacti cuſtodia nulla,
Relligio non ulla fuit: ſua maluit omni
Arte prius pacis tentata poſcere, totam
Vertere

(a) Obſtrinxerat ſeſe hoc infami tributo Mauregatus, ut Cordubenſem Regem in ſuas traheret partes, ab eoque auxiliares copias acciperet, quibus regno potiretur, quod ad Alphonſum hæreditario jure pertinebat. Hoc tanto crimine obtinuit quidem utrumque, etſi breviſſimum regnum æterna ſui nominis infamia nothus iſte adeptus ſit. Solutum tributum non ab ipſo ſolum, ſed ab Succeſſore etiam Veremundo videtur fuiſſe, cum negatum primum ab Alphonſo legamus, ut alibi diximus.

Vertere quam Heſperiam, flammis et perdere belli.
Si te cura tui tangit, ſortisque tuorum;
Si regnare juvat; placidam ſi ducere vitam,
Et populos recreare tuos; via ſola ſalutis
Hæc patet: armatumque cave certamine magnum
Explorare ducem, cunctas res vertere fundo
Qui nutu poſſit veſtras, et nomen Iberum
Extinctum penitus lethæis mergere limphis.
Audiit impatiens, animoque accenſus, iniqui (b)
Verba requirentis tumido ſermone Ramirus;
Et ſtupet indignans, quod quiſquam crimine tanto
Crediderit ſe poſſe ſui primordia regni
Deturpare, lupis tradentem immanibus agnas.
Et niſi jus Regum, et miſſis ſervanda miniſtris
Intemerata fides ſuaſiſſet ponere motus
Irarum, quamvis juſtos; hi carcere clauſi
Legati pænas regi, populoque dediſſent.
Ergo reſponſum paucis ita reddidit Heros.
Turpia nulla fides, jurandi nullaque juris

Relligio

(b) Tributi poſtulationem adeo iniquo animo ab Rege, *et aulicis auditam hiſtorici memoriæ mandatum reliquerunt, ut parum abfuiſſe dicantur noſtrates ab violando gentium jure in Legatos depoſcentes.*

Relligio patitur. Celsos et flumina fontes
Magna prius repetent, quam, me regnante, tributum
Infame accipiat veſter Rex. Vadite, ferte
Hæc illi mandata: nihil moror agmina, vires,
Quas bello jactat plures; non arma recuſo,
Fædera nec quæro, minimo ſi crimine parta:
Quodque velit poſcat communi marte, tributum.
Hæc ait. Accipiunt miſſi reſponſa, citique
Tendere iter properant, Abderramoque reportant,
Haud placitura ſuo Regis decreta Ramiri.
  Concilium interea magnum, primosque ſuorum
Imperio accitos, delectos ordine ab omni
Civili, ſacroque viros in regia cogit
Limina. Conveniunt omnes, ſeditque Ramirus
Poſtquam in conſeſſu ſolio ſublimis eburno,
Adloquitur Patres, animosque accendit ad arma.
  Quæ modo Legati, Maurorum ab Principe miſſi
Attulerint nobis; quæ vectigalia poſcat
Et quanto faſtu, noſtis. Sententia qualis
Inſideat veſtris animis; quid robur Iberum
Mentibus inſpiret veſtris, et gloria priſcis
Ab patribus veniens; claro demiſſaque cælo
Relligio, toties vitæ, præ quamque tuliſtis
Fortunis? frons veſtra modo manifeſtius omni
Oſtendit ſermone. Mihi ſtat pectore firmum

Sceptra prius, vitamque, meum natumque paciſci,
Infami quam nos omnes maculare tributo.
In quo nunc animi ſenſu referenda Tyranno
Legatis reſponſa dedi. Quæ deinde ſequetur
Sors rerum, video: libertatemque futuram
Sentio virtutis pretium. Rex arma movebit,
Innumerosque ſuos populos in prælia ducet,
Auxilium poſtquam ſiccis exciverit Afris;
Noſtraque diffuſis ſperabit regna catervis
Obruere: ut quondam violento gurgite Bætis
Funditur in campos latos, et vertit inundans
Rura, domosque, pagos, ſylvas atque oppida fluctu.
Aſt ego nil numerum curo; nam Martis in arvis
Non numerus, ſed ſola valet vis pectoris ardens,
Laudis honeſtus amor, ſtudium quem dulce decori
Suſcitat, in facinus ſtimulat, firmatque ſupremum.
Quin et erunt nobis gentes, quæ triſte Maconis
Excuſſere jugum primæ, regnisque frequentes
Omnibus ad nos clam venient, juſtiſſima belli
Quos et cauſa pii, vigilans quoque cura vocabit
Noſtra ſuper, ſint ut laudis, magnique decoris
Participes, victo veniet qui multus ab hoſte.
Cetera, ſors omnis, ſuperati et gloria Mauri,
Extinctique nefas turpis, triſtisque tributi,
Ab ſuperum repetenda manu: favor omnis ab alto
Speran-

Digitized by Google

Sperandus: minime dubiis quem ab vocibus hauſi.
Vix ea Rex; ſubitum tota cum murmur in auta
Auditum, ſapiens et tanto Principe dignum
Conſilium magno tollentum ad sydera plauſu;
Arma fremunt omnes, et belli fama per urbem
Diditur inde cito, celeri mox tracta volatu,
Heſperiam complet venturi murmure belli.
Namque Abderramo mens ut patefacta Ramiri,
Abnuerit quantoque vetus perſolvere regi
Pectore vectigal: quam nil invicta timere
Agmina Maurorum monſtrarit, ſeque paratum
Rem totam campis pleno decernere marte;
Is furiis actus cæcis, tecta alta replebat
Horridus, exitium verbis minitantibus atrox
Omnibus Heſperiis: armari protinus amplis
In regnis acies peditum, promptasque phalangas
Eſſe jubet. Mittit Libicas qui in prælia vires
Excitet, et reges moneat; nunc tempus adeſſe,
Quo Hesperidum tandem poſſit ſors ultima rerum
Decerni ferro: pugna non amplius una
Eſſe opns, et cujus non anceps exitus, ipſi
Si auxilium dederint: cum deglutire catervas
Hoſtiles poſſit, qui nunc exercitus armis
Inſtruitur: veniant: certa eſt victoria nobis.
Non tam præcipiti flaventes ignis ariſtas

Corripuit curſu, Sampſon cum pinguia contra
Arva Philiſtæi binas immittere vulpes
Cœperat; ardentes poſtquam nodarat utrique
Flammarum pingues ad tanta incendia tædas;
Vox Abderrami quam vires impulit Afras
Littus in Heſperium, traxitque accenſa cupido
Regni, quod claro luſtrat Sol mitior ore.
Dic age nunc, Clio, rerum cui credita fama,
Quas tenebris fundit denſis annoſa vetuſtas,
Quos reges, et quas gentes, quanta agmina in arma
Excierit princeps urbs Corduba, quanta peruſtis
Africa Littoribus noſtras contra improba terras
Miſerit; ob longos res eſt obſcurior annos.
Mille viros primo, delectos flore juventæ
Impoſuit longis primum bis quinque carinis
Inſignis bello Tangis; promptiſſima pugnis
Pectora, non ullis Martis ceſſura periclis;
Subque decem juſſi ducibus perferre labores
Militiæ, bello claris, quia nuper ab oris
Arcuerant afris Northmannos; hi oſtia namque
Herculei ponti dum quærunt; littora ferro
Proxima ſunt auſi vexare, et mænia flammis.
His totidem junxit Tetuanum navibus octo
Mille ſuper juvenes præſtanti corpore, findunt
Vomere qui campos, et quæ florentia Cuſus

Arva ſecat fluvius: prælonga cuſpide conti
Arma iſtis, clypeo protectis corpora duro;
Aſt aliis calamos mos eſt armare veneno,
Et procul infenſis hoſtes invadere nervis.
Ductor utriſque datus Mahomadus, ſævior omnes
Ante alios Mauros, et noſtri nominis hoſtis;
Herculeique freti præter vada fervida claſſem,
Qua brevior curſus, remis ad littora ducit.
Ducit et Almenon regnis et ab urbe Temiſſæ,
Almenon de ſtirpe ducum, qui ſigna Maconis
Geſſerunt primi noſtris victricia terris,
Infeſtas Arabum turbas, queis regula pugnis,
Nullus et ordo; ruunt telis hoſtilia contra
Agmina, præcipiti curſu, jaculiſque vibratis,
Vertunt terga fugæ, torquent nervoque ſagittas,
Parthorum ritu, fugientes: nudaque ſaltu
Inſiliunt celeres effræni in tergora manni,
Id quoties pugnæ ratio, vel poſtulat uſus.
Ducuntur non inviti; ſed et arida linquunt
Arva Temiſſani regni, campoſque volentes,
Difficiles cultu terras, colleſque malignos.
Mille quater, denis bis navibus, æquora findunt,
Expanſis auſtro velis, portuſque Malacæ,
Littora, vel ſedes ratibus, gremiumque requirunt.
Hos ſuper advenit, multis et navibus implet

Æquora mendacis ductor de ſtirpe Maconis
Abdallus, ſecumque trahit, quos mille Teneſa
Gens bello præclara dedit, quos agmine mittit
Icoſium duplo majori; mille trecentos,
Quos pugnis fortes validis urbs inſtruit armis, (c)
Dulce dedit dulcis nomen cui copia mellis,
Quosque Arzilla vetus ſexcentos obtulit, agris
Vomere ſulcandis dextros, vel fluctibus ære.
Omnibus idem animus, rapta diteſcere præda.
Promptior ante alios ſurrexit in arma, feroces (d)
Armavitque viros, duxitque in prælia Princeps
Algerii, proavi nomen, moresque ſiniſtros
Alcamæ referens, odium quoque majus Iberas
In

(c) Urbe ſcilicet a noſtratibus dicta Melilla ab mellis copia, qua præſtat, in Regno Fezzano, quæ ſæpe ditionis ſuit Hiſpanienſis, ſæpe etiam Afris conceſſit.

(d) Algeritani populi ingenium ſatis ſuperque ſe prodit a multis ſæculis in exercenda piratica, in qua ipſi ſi non omnes ſuas, præcipuas certe fortunas videntur collocaviſſe, ingenti quidem communis negotiationis damno. Ex hac vitæ ratione barbari illi mores, et ferini proficiſcuntur, quibus dure ſe ipſos, crudeliter vero tractant quos nullo jure captivos duxerunt.

In gentes omnes, ardensque cupidine ſuſi
Sanguinis his quondam terris, vitæque ſuorum
Tandem ulciſcendi. Vaſtat cultoribus agros,
Montanosque ciet duros in bella colonos.
Vis ſed ei potior, magna et fiducia mille
Sexcenti lecti prædones, ars quibus omnis,
Et vitæ ratio, mediis in fluctibus auſtris
Oppreſſas ſpoliare rates, avertere prædas,
Servitioque gravi nautas addicere, diro
Vulnere vel foſſos imo ſubmergere ponto.
Horrenda turgent facie; ſed fronte minaci
Mitior haud animus. Sævis hos tigribus ortos,
Caucaſeisque feris eductos cautibus idem
Credideris, quorum mentes mortalia tangunt
Noſtra nihil, vel naturæ communia jura.
Utque feri, ſic ſæva ruunt in bella ferarum
Torvarum ritu. Crudus veſtigia pero
Nigra tegit, nigros artus, humerosque peruſtos
Pube tenus nudos telis hoſtilibus, absque
Tegmine vel clypei, parmæve ignobilis orbe
Objiciunt: dextras curvatis enſibus armant,
Arreptosque rotant, immiſſi fulminis inſtar.
Mortem non metuunt; vitam duxere pericla
Inter et aſſiduos caſus, martisque, marisque.
Hos omnes ducit bis ſenis navibus: æquor

Et

Et quamvis jactat tumidos ad sydera fluctus,
Inque rates deſævit atrox; non ſegnius illi
Littus in Heſperium remis, ventiſque feruntur,
Ingentemque novæ portum Carthaginis intrant.
Inde iter in campos celerant, ubi Corduba turmis
Auxilio ad pugnas afris venientibus oris
Iuſſerat attolli denſis tentoria velis.
Nec minor interea fervebat motus, in amplis
Heſperiæ regnis, ſubſunt quæ maxima ſceptris
Abderramani. Iuſſu namque oppida regis
Singula delectos juvenes in prælia mittunt,
Arma manu quotquot verſant: quot fæda Maconis,
Dogmate chriſtiadum deſerto, jura ſecuti.
Scilicet excluſi caſtris, queis ſacra parentum
Relligio eſt cordi. Nec fruſtra incerta, vel anceps
Viſa fides bello, totis quod viribus urgent
Hinc Arabes, Rex inde ſacrum qui ſervat Iberis
Jus podulis, armis et quo ſors ultima rerum
Decernenda; ſciant cum Mauri quantus Iberis
Inſit corde dolor, poſtquam ſors tranſtulit Afris
Regna, quibus quondam cælo delapſa vigebat
Relligio et Pietas: poſcant et prælia fidos
Quos animos, ſumptis conſtans quod robur in armis.
Millia bis ſeptem pugnantum mittit Uliſſis
Urbs fæcunda ſolo, quorum pars maxima crebris

Duruit, et dudum eſt ſævis exercita bellis.
Sunt horum pedites numero bis millia quinque:
Quatuor in totidem turmas ſcinduntur equeſtres
Millia: ductor Abengamius datus omnibus, ille
Fuſcus Abengamius, priſco qui ab ſanguine regum
Alavicinorum dici, credique volebat,
Obſcura quamvis ortus de matre fuiſſet,
Neſcieritque patrem; bellis tamen acer, et armis.
Hiſpalis ab tractu terræ, qua Bætis, et Anas
Dulce fluunt, plenoque ſecant tot gurgite campos,
Octo legit, mittitque virorum millia, quorum
Parte replet peditum turbas, inſtaurat equeſtres
Parte alia turmas, queis eſt cuſtodia rerum
Credita, cum populi tranquilla pace fruuntur.
His duplicat numerum pugnantum; ſigna jubentur
Rubra ſequi Alcamari, et dictis parere ſuperbi,
Plurima quem quondam bellis eſt fama ſecuta,
Poſt regnaturis nomenque Nepotibus idem
Haud illuſtre minus ſeris, clarumque reliquit.
Nec lento cogit ſtudio Granata cohortes
Innumeras in bella ſuas: ab littore toto,
(Publica res quoniam plano eſt tutiſſima ponto)
Evocat armatas acies; his millia jungit
Ab campis, ſylviſque decem, durata labore
Corpora; ſeu juſſi pedites concurrere in hoſtes,
Sive

Sive equites conferre manus, ad utrumque parati.
Hos Halius ducit, proavus tibi, clare Temini, (e)
Auguſti quondam qui Juſſus Cæſaris urbi,
Alphonſi cinctæ caſtris afferre ſalutem,
Senſiſti ſero bellis quid poſſit Iberum
Pectus, et ingenti devictus clade tuorum
Darocæ in campis, doluiſti mœnia primæ
Urbis in Alphonſi tandem ceſſiſſe triumphos.
Alzamor, Zamæ ſoboles fera, ſigna Maconis (f)
Poſtea qui montes ultra victricia duxit
Marte

(e) Teminus Hallii Regis Hiſpalenſis filius ingentem duxit Afrorum exercitum, qui recens ex Africa in Hiſpaniam trajecerat, allaturus opem, auxiliumque Mauro Cæſarauguſtæ regnanti, quam urbem principem Alphonſus Rex arctiſſima premebat obſidione; ſed ab noſtratibus aggreſſus magna eſt clade, magnoque terrore affectus, et Hiſpalim ſuam profugus repetiit. Miſſus eſt denuo alter exercitus ſub altero ex Hallii filiis: at hic etiam in campis Darocæ ab Alphonſo ſuperatus, et deletus eſt. Poſt quam victoriam potitus eſt Aragonius urbe, quæ octo integros menſes obſidionem ſuſtinuerat duriſſimam.

(f) Zama ab Izito Miramolino Hiſpanienſibus regnis præpoſitus, exercitum in Galliæ provincias duxit: Occu-

pavit

Marte Pirennæos, ſeptempopulania cepit
Arvaque, Narbonæ campis, muriſque potitus,
Deſertus quamvis fortunæ ſorte; Toloſæ
Mænia dum circum conjuncto milite cingit,
Victus ab Eudono, poſtrema eſt clade ſubactus.
Alzamor turbas regnis et ab urbe Toleti
Ducebat, longis exercita pectora bellis;
Vel juvenes ſævi doctos Mavortis in arte
Ab Ducibus, primo quondam qui flore juventæ
Intererant pugnis, acer queis oppida Mauris
Abſtulit Alphonſus, regni et confinia duxit
Luſorum fines ultra: cum clade Mugajus
Sanguinea afflictus, pleno certamine, Ledis;
Et cum Gallæcis Mahometus concidit arvis,
Perfidiæque dedit profuſo ſanguine pænas.
Ingens ardor agit ductores; inſita ſignis

Pro-

---

pavit Septempopulaniam, capta Narbona; quæ erat tunc temporis Galliæ Goticæ Urbs princeps. His victoriis tumidus facile ſibi fore exiſtimavit Toloſæ potiri, quam Urbem plena ditione regebat Eudo Aquitaniæ Dux, qui cognitis Zamæ conatibus, eo cum exercitu advolavit, hoſtemque ei obviam venientem ingenti clade proſtravit, ipſo ductore interfecto.

Probra ſuis dudum ſperant abſtergere; magnos
Dant animos vires pugnantum; robur adauget
Et numerus; mens læta, ferox audacia, duci
Qua poſcunt omnes inimica in caſtra Ramiri;
Et quam dans turbæ ducibus, fiducia, major
Ab ducibus redit in turbas: non prælia pendunt,
Non pugnas: vires hoſtiles agmina curant
Quantum chaonias aquilæ pavere columbas.
  Murcia mille viros; ter mille Valentia mittit,
Aſt omnes Arabes; quorum pars maxima pingues
Exercet glebas inflexo vomere, curat
Et pretioſa ſuo quæ fila tenacia bombyx
Ore vomit: celſis alti de montibus acti,
Adjnnctique viris aliis, qui martia nuper
Vulnera pro patria pugnando vulnera paſſi,
Littora cum turbis Borealibus, oppida, caſtra
Proxima Littoribus flagrarent turbine belli.
Omnibus it ductor mixto de ſanguine Regum
Heſperidum, Afrorumque gravis, maturus et annis
Muza novus, ſobolem Zulemi quem ſcimus, at iſtum
Abdalaſizzo conjux Egilona creavit, (g)

Quæ

(g) *Damus jure poætico hunc Abdalaſizzo filium ex Egilona. Hujus vero cum Arabe conjugium cum inter capri-*

 vas

Quæ Regina prius Ruderico nupta Gothorum
Regi infelici, poſtquam conceſſit acerbis
Hic fatis, priſco ſolio dejecta Maconis

Ser-

---

vas detineretur, ex fide hiſtorica deſumimus. Viderat eam ſcilicet Abdalaſizzus, et ejus non magis venuſtate, quam honeſtate, et in tam miſera rerum viciſſitudine, conſtantia captus, ſponſam ſibi conjunxit. Nec Mauris viſum eſt indecorum captivam quondam Reginam ab eorum Principe ſponſam duci; nec Chriſtiani dubitarunt, miſeris illis temporibus poſſe eſſe ſibi percommodum illud conjugium. Et ſane ſpe ſua fraudati non fuiſſent, ſi, qui ceteris oppidis præfecti erant, miniſtri Abdalaſizzi mentem intellexiſſent rectius, eique morem geſſiſſent fidelius. At Princeps hic inter bellorum difficultates enutritus, multisque obtentis victoriis clariſſimus, aulæ deliciis ſenſim effæminatus, invigilare miniſtrorum ſuorum motibus negligebat; et faſtu, imperandique ſuperbia dum ſperat languentem, deficientemque jam, bellica virtute partam apud populos auctoritatem ſuſtinere, multorum in ſe odium excitavit, armavitque. Inita adverſus eum eſt conjuratio, duce Ajubo, cujus imperio in templo Mahumedis aggreſſus, interfectusque eſt ab ſcelerata cnnjuratorum manu.

Servitium tulerat, donec de carcere tracta eſt,
Rurſus et in ſolium; ſed non melioribus ullis
Auſpiciis ſublata; novi connubia namque
Haud tenuit longum Regis. ſurrexit in illum
Seditione potens Ajubus; limine in ipſo
Prenſantem manibus Mahometi altaria turpis
Confixit gladio, ſingultantemque, ſuoque
Sanguine volventem ſeſe conceſſit acerbis
Immanis ſceleris Sociis, odiisque ſuorum.
Signa ſenex mixti ſervabat ſanguinis ore,
Et melius referebat avos in moribus ambos;
Abdalaſizzi mavortia pectora bello
Oſtendebat avi; mores et cæperat aulæ
Queis Egilona ſuum victorem vicerat olim.
  Sunt acies propriis juſſæ conſiſtere terris
Oppida quæ ſervant, gentes trans flumen Iberum
Quæquæ colunt, duro findunt et vomere montes:
His ſiquidem commiſſa manet cuſtodia regni,
Parte minus tuta; gentes ubi triſte Maconis
Excuſſere jugum multæ, ſerpitque vetuſtæ
Libertatis amor; ſpes et non vana propinqui
Auxilii (victrix mittet quod Gallia, ſignum
Extulerint urbes ut primum) concitat, atque
Inflammat ſtudium populi, quem ſola coercet
Vis inviſa ſibi Mauri; ſed promptus ad arma

Con-

Concurret, belli dederit ſi buccina ſignum.
Heſperiæ ab regnis delectæ ad prælia turbæ
Quærere ſunt juſſæ Caſtellæ finibus arva
Proxima, tuta locis tentoria figere, tectis
Cum nullis poſſint acies, urbiſve teneri
Mænibus innumeræ: ſocios hic agminis Afros
Expectent, regemque, ſuis qui millibus, omnis
In quibus eſt innixa fides, fiducia major,
Adveniet; terdena movens jam millia, robur
Infractum pugnis, firmiſſima pectora, regem
Servatura ſuum mediis ex enſibus; ira
Si Martis contra ſteterit, ſi adverſa ſuorom
Ingruerit contra vires fortuna; parata
Corda ſuum fuſa dominum defendere vita.
Caſtra ſimul movere Afri, ſimul alta reliquit
Tecta Abderramus. Summis ab mænibus urbis
Adſpiciunt acies gradientes ordine denſo
Chriſtiadis immixti Arabes, matreſque, ſenesque
Imbelles animi, pueri, innuptæque puellæ,
Diverſis omnes ſtudiis. Sua gaudia monſtrat
Gens Arabum, exultatqne animis, ſpe præripit omnem
Heſperiam, primo victam certamine; nomen
Chriſtiadum cunctis extinctum dicit in oris.
Hæc ſpes læta Arabum divinæ legis alumnis
Eſt ingrata magis, quo cauſa eſt certior. Ipſi

Attoniti

Attoniti turbas cernunt; contraque Ramiri
Exiguas noſcunt vires; ſed corde timores,
Mærores que graves coguntur condere, vultu
Gaudia, lætitiam, ſpes et ſimulare ſereno.
His aliud majus miſeris, multoque verendum
Prodigium magis objicitur, quod pectora turbat
Valdius, inſolita replens formidine mentes.
Mentis inops habitus, ſed vitæ moribus urbi (h)
Spectatus tori pauper vir compita, ſacras
Præteriens ædes, lacrymoſis vocibus aures
Chriſtiadum torquens, pectus terrore replebat,
Ingeminans: væ vobis, væ tibi, Corduba, cerno
Cæde domos, noſtroque undantia ſanguine templa,
Et fratrum laceros artus; cerno arma parari
Ferratasque rotas, fixisque mucronibus orbes:
Perque trahi calles urbis ludibria Mauris

No-

(h) Pauperis hujus clamores damus ex veroſimili. Ceterum Abderramum, tanta ſuorum internecione devictum, profligatumque in furorem, crudelitatemque usque ferinam protractum fuiſſe, et ſæviiſſe in Chriſtianos ſibi ſubditos, manifeſto conſtat ex faſtis Eccleſiaſticis Hiſpanienſibus, ex quibus apparet, quot agmina Martyrum omnium ordinum accenſa Abderrami rabies hac occaſione triumphanti exercitui adjunxerit.

Noſtrorum primos; juvenes, tenerasque puellas,
Nobilium florem primum, columenque domorum;
Cuſtodes templi ſacros, primosque miniſtros
Cerno, rapi, tota urbe trahi; tum corpora miris
Diſcerpi, ſcindique modis. Cumque agmina juxta
Mænia tranſirent urbis, rexque ipſe cohortes
Duceret u be ſuas; verſis tunc vocibus alte
Auditus fratrum partos celebrare triumphos,
Nomine quemque vocans, cui cingere tempora lauro,
Quem dicit dextra referentem cernere palmam.
Nec juſſus tacet usque; licet multatus acerbis
Verberibus; namque hæc inter, plagasque patentes,
Afflatur quando cæleſtis luminis æſtu,
Artubus inflictos ictus non ſentit, et illos
Si ſentit, nihilo curat, penditve dolores.
Quid portenta ferant, credit quæ maxima cælo
Demitti haud dubie, ſecum dum turba volutat
Chriſtiadum; nec adeſt vates, qui arcana reſolvat,
Magnarum ingenti curarum fluctuat æſtu.
Jam lati turbæ complerant æquora campi,
Et quocumque acies oculotum plana per arva
Inciderit, meſſem ferratam, ſigna tuetur,
Et præfixa videt ſignis creſcentia Lunæ
Cornua; cum tandem portis ſe fundit apertis
Rex Abderramus, turma ſtipatus equeſtri,

Digitized by Google

Mille inter populi voces, plauſusqne ſuorum,
Plaudenti qui etiam fortunatiſſima Regi
Fata canunt; cujus pertentant gaudia mentem,
Dum procul adſpiciens,arma undique,et undique cernit
Plurima ſigna ſuos ad conducentia nutus
Tot fortes acies. Oſtentat fronte tumorem,
Ingentesque animos tollit; communicat altos
Inde ſuis ſenſus cordis, dum despicit hoſtem,
Ab quo mox certum referet, plenumque triumphum.
  Jamque pedum pulſu aſſiduo tremit excita tellus,
Pulvereusque tegit ſublatus ad æthera nimbus
Tot denſas acies: interlucentque mucrones
Sole repercuſſi tenui, caligine tanta;
Tympana cum ſtrepitu, rauco quoque buccina cantu
Ereptos oculis, terrores auribus addunt.
Indicuntque novas gradientes æquore turbas.
Nec prius abſiſtunt, feſſos quam Phæbus in undis
Occiduis perfundat equos, nox humida nimbos
Pulvereos fuſcis magis et contexerit alis.
Inceſſus longi minuit, lenitque laborem
Spes ingens prædæ, certo venientis, opimæ,
Quam non certa minus pariet victoria Mauro.
  Sic iter emenſis ſurgit Segovia, celso
Colle tumens, lectis dives Segovia lanis,
Inter et Heſperiæ deſcribi dignior urbes,

Ædibus

Digitized by Google

Ædibus extructis ſolido de marmore, templis,
Arcibus, et priſcas referentibus arcubus artes
Romulidum: celsæ vicinis collibus urbi
Conſtiterant acies, miſit quas Murcia, quasque
Muza Valentinis ducit longævus ab agris.
Auxerat et numerum diverſis miles ab oris
Adveniens ultro, quem non magis armat in hoſtes
Laudis amor magnæ, ſpes et non parva triumphi,
Quam ſpolii moveat pinguis, prædæque cupido.
Huc Abderrami veniens exercitus omnis
Compulit arma armis, conjunxit ſignaque ſignis.
Innumeræ gentis conſpectus, et arma parata
Ad pugnam, quæ oculos perſtringunt lumine, vires
Unius accendunt cujusque, nec agmine tanto
Cernitur, ingentes qui non oſtentet in ore
Spes, quas corde fovet. Ductores convocat ergo
Rex Abderramus primos; affarier omnes
Nam gentes, non lingua ſinit, non maxima turba;
Et ſublimis equo ſic fatur rite coactos.
In manibus mars ipſe, Duces, victoria, noſtra
Omnia ſunt veſtris; ſtatuet certamen et unum
Res noſtras omnes. Sero tædebit Iberum
Vectigal renuiſſe diu perſolvere pactum,
Jureque firmatum jurando; regna videbit
Cum fractæ vitio pacis conſidere in ignes,

Seque (inimica magis ſi ſors conceſſerit) exul
Compulſum terras alienas quærere: vitam
Optabit quoties inter poſuiſſe ſecures,
Ducere quam miſeram regno ſpoliatus opimo?
Quas pænas miſer ille dabit? quantisque putatis
Torqueri ſtimulis, fidei quod vincula ſacræ
Sacra magis durus fregit, viresque coactas
Eſſe ſciat noſtras in ſe exitiumque ſuorum?
Ite alacres, vos palma magis, quam ſors, labor ullus,
Martis in arma vocat: vectigal fænore ſolvet
Integra totius regni jactura; manebunt
Relliquiæ poſthac nullæ; nec nomen Iberum
Inviſum nobis, ullis memorabitnr oris.
Nunc qua quærendus nobis ratione ſit hoſtis,
Agmina quo placeat contra hoſtes ordine duci,
Edicam. Fortes acies, quas Africa miſit,
Obtineant cornu dextrum, te Abdalle ſequentes,
Imperiumque tuum, Almenon; Mahomede, tuisque
Dux Alcama, novæ turmæ ducentur equeſtres
Nutibus; his cornu dextrum claudetur: at illud
Agmen, quod noſtris format gens excita regnis,
Almaro ductore ſuo, Muzaque, Halioque
Expediet peditum turbas, cornuque ſiniſtrum
Conſtituet; claudent equites, Alzame, ſequuntur
Qui tua ſigna, ſuis ducit quos urbibus, acres
Du-

Ductor Abengamius, longis exercita bellis
Pectora. Nos pedites ducemus; prælia primi
Qui commiſſuri, forti qui pectore vires
Suſtineant primas hoſtiles: ferre ſueti,
Me duce, jam dudum vitæ quoſcumque labores,
Et grave Martis opus: quorum qui exempla ſequentur,
Hos virtute manet partæ pars maxima laudis.
Ite, ait, et veſtros animos, mentiſque vigorem
Quiſque ſuis turbis inſpiret: corpora curent
Dicite, tela parent, ſpectent et prælia læti.

FINIS LIBRI QUINTI.

LIBER

Digitized by Google

LIBER SEXTUS.

ARGUMENTUM.

Regno Chriſtiadum collectus miles ab omni
Advenit auxilio ſceptris, armisque Ramiri,
Exigui numero quamvis. Seſe agmina pugnæ
Tota parant: acies concurrunt: Maurus Ibero
Viribus imparibus pugnanti triſte minatur
Excidium; cum vectus equo, gladioque Jacobus
Armatus, Mauros ingenti clade trucidans,
Proſtrato palmam concedit ab hoſte Ramiro.

ATque ea dum campis Abderramanus apertis
Lætus agit; dum turbæ Arabum per plana ſequuntur
Arva iter incæptum celeres, quantum agmina poſſunt
Tanta ſub innumeris ſignis, ducibusque moveri;
Surgentem Duriumque, Numantinosque requirunt,
Scipio quos campos uſit, qui nomen ab Afris
Accepit domitis, populo ſubditque Quirini:

Oppida Maurorum ferro, flammisque Ramirus (a)
Vexabat victor; tantique incendia belli
Hoſtis in extremas prudens converterat urbes.
Queis populis? qua gente ſuas inſtruxerit armis
Inſignis Princeps acies? quot viribus Afris
Objecit ſocias vires? quæ ſigna, ducesque?
Expediam, tenebris revocabo et nomina lethes,
Siqua jacent, venient noſtras et rurſus in auras.
Innicus illuſtris, duxit qui nomen *Ariſtæ* (b)
Pecte-

(*a*) *Etsi mature, perſpicueque ſciverit Ramirus quantum exercitum ab tota Hiſpania, et Africæ ora maritima Abderramanus ſe contra moveret; adnotarunt tamen ſcriptores, eum prius in hoſtium terras irrupiſſe, quam tot hoſtiles copiæ in regni ſui confinia penetrarent. Quo animi robore et omnem Mauris timoris ſuſpicionem eripuit, et ſuorum animos hoc exemplo docuit, quo loco ipſi collectas hoſtium vires eſſent habituri.*

(*b*) *Relictis vetuſtiſſimis Navarræorum Regibus in illis, quibus jacent interminabilium controverſiarum tenebris; indubitatus Innicus* Ariſta *regnum ea tempeſtate Navarræum obtinebat; Vir præſtanti animo, et bellis clariſſimus, quique Maurorum cladibus, ſpoliisque regni ſui confinia amplificarat, capta præſertim Pompejopoli urbe regionum illarum principe.*

Pectore ab audaci, Navarræ ab montibus, abque
Vaſconum terris lectos bis mille movebat
Egregios virtute viros, queis nuper ab oris
Expulerat regni Mauros, his oppida, terras
Abſtulerat plures, Pompejique urbe potitus,
Hoſtes ingenti vexarat clade propinquos.
Omnibus eſt clypeus, validi ſunt omnibus enſes,
Et galeæ, et thorax ſquammis inſtructus ahenis:
Arma ſuper mentis robur, flagransque cupido
Vel libertatem patriæ, ſociumque tuendi
Jura, vel inſigni fatis concedere letho.
Quingentos illi jungens Aznarus Arago (c)
Flumine ab exiguo veniebat; ducere plures,
Quam nunc terra Comes plena ditione gubernat,
Non

(c) *Inſtitutum iisdem ferme temporibus ſuiſſe accepimus Comitatum Aragonienſem ab Navarræ Regis ditione non omnino immunem, arctiſſimis ſane finibus circumſcriptum, ac definitum, cum parvis pautisque pagis cis flumen Aragonium conſtaret. Erectus comitatus iſte ex his quæ Carolus Magnus Mauris abſtulerat, eique præfectus Aznarius vir bellicoſiſſimus, qui adverſus Oſcitanum, et Cæſarauguſtanum Regulos ſecundo Marte pugnaverat jam ſæpe, fineſque ditionis ſuæ reddebat quotidie ampliores.*

Non patitur, rerumque ſtatus non triſtis; acerbis
Sunt animis Arabes quando, confinia poſtquam
Iſte ſui regni produxit marte ſecundo
Arva ſuper, monteſque colit quos Maurus opimos.
Eſt illis belli vexillum murice longe
Aſſyrio fulgens, medio ſignoque coruſcat
Smaragdus viridis; regni hæc inſignia ſignis
Addideratque ſuis Aznarus; fulget inauro
Plurima crux circum Navarri ſtemmata Regis
Urgelli Comitem Gherardum ab montibus acres (d)
Mille viri turmas partiti in quinque ſequuntur,
Qui Sicoris fontes potant, qui vomere valles
Andorræ ſindunt, Pallarſi culmina quique
Celſa ferunt, forteſque viri, qui nomine priſco
Sunt Cereris dicti Ceretani; pinguia ſcindunt

Æquo-

(*d*) *Quod nomen fuerit Urgellenſi Comiti illius ætatis, fatemur nobis eſſe penitus ignotum, diximus pro libito Gherardum. Etiam dominatus iſte Caroli, et Ludovici ejus filii auctoritate fuerat conſtitutus, ejectis Mauris ab illa boreali parte Catalauniæ, in qua hoſtes vix pedem figere potuerunt; irrepſit poſtea Comitatus iſte in Regiam Aragonienſem familiam, cum magni nominis, magnique fuiſſet honoris.*

Æquora qui citra montes, ubi gleba feraces
Eduxit meſſes, quoties nimboſus orion
Vere novo, pluviis longis, ſe fudit in agros.
Tegmen habet capitum pars urſæ tergora fulvæ
Cruda etiam; criſtas alii ſumpſere luporum,
Vulpinæ et patulæ flaventis acumina caudæ.
Sunt arcus, pharetræ, trifido ſunt dente ſagittæ
Pluribus: aſt longis armata mucronibus haſta
Omnibus in promptu eſt: pendet laterique bipennis
Fida, cruenta magis peſtis non ulla, nec ulla
Tutior, ut pede pes hæſit, denſusque viro vir
Concurrit; gravibus quando non ictibus æra
Multiplici flexu contexta obſiſtere poſſunt.
Extulerat belli ſignum quoque Barcino, ductu
Bernardi Comitis, rerum cui ſumma poteſtas, (e)
Expulso Bera, fuerat modo credita, turmas
Excipit, auxilio veniunt quæ ex urbibus, Afrum

Quæ

(*e*) *Urbem Barcinonem tuebatur Bernardus Comes pro Bera, qui ditione fuerat ſpoliatus, orta inter Ludovicum Imp. et filios diſſenſione; cum ille pro Bernardo ſuo quondam domeſtico, ac familiari; hi pro Bera decertarent. Quare quæ ad Comitatum Barcinonenſem ea tempeſtate pertinebant, cum haud multa erant, tum in di-*

 verſa

Quæ excuſſere jugum, libertatemque parentum
Ab Mauris fuſo ſervarunt ſanguine ſalvam.
Auſa caput populis, dederunt qui nomen opimæ (f)
Auſoniæ, veterem cum nondum forte Sicanam
Incola dixiſſet Sicoris cognomine gentem,
Inſtruit, et firmo delectos agmine mittit

Mille

verſa diſtrahebantur. Oppida ſiquidem Catalauniæ plura auxilio, opibusque Francorum Regum excuſſerant cito numquam ſatis firmum Maurorum jugum, et ſingulis propemodum urbibus ſinguli rectores pleno jure dominabantur, ab ipſis Regibus præpoſiti.

(f) Auſa, Auſona (Vicum, ſive Urbem Vicenſem dicimus) vetuſtiſſima Civitas eſt, quam meminit Cæſar, ſive quis ſit alius commentariorum illorum auctor, et quæ Auſetanis populis frequentiſſimis nomen dedit. Capta hæc urbs fuerat ab Aizo Gotho genere, qui deſertis Imperatoris Ludovici vexillis, ſub quibus longum ſtipendia meruerat, imploratаque Maurorum ope, terras vaſtarat, et urbe potitus, ejusdem ſibi vendicarat dominatum. At non diu tulerunt Auſetani perfidiam tyranni; ſiquidem arreptis armis, in eum, ejusque confœderatas copias inſurrexerunt; victos, profligatosque late perſecuti ſunt, et priſtinam ſibi a Maurorum jugo libertatem peperere.

Mille viros gelidis excitos montibus, acri
Qui nuper Mauros certamine, nuper Aizum
Infamem, triſti multatos clade, receptis
Exuerant terris, compulſos quærere tandem
Ignotum per iter trepidantia caſtra ſuorum.
Pro galea tereti cinxerunt tempora funda,
Hac docti quoniam baleari ſpargere ritu
Ferratos globulos; dextras ſparus armat agreſtis,
Mucro latus cingit: ſunt illis tegmina plantis
Multiplici textus, planoque volumine funis,
Deſuper intortis filis contextus, et alte
Crura ligant ſpiris, et verſicoloribus apte
Funiculis circum. Celeres ſic agmina contra
Hoſtica concurrunt, prompti recto ordine ferri
In pugnam; monteſque ſimul, ſaltuſque profundos
Partiti in turmas tenues percurrere, et hoſtis
Incauti ſubito pervertere caſtra timore.
Sexcentos virtute pares excelſa Gerunda
Addiderat, paribus cunctos inſtruxerat armis,
Excitos populis, findunt qui pinguia roſtris
Arva, colunt montana mari confinia, fontes
Onnatis, Teriumque bibunt. Ruſcinnio celſis
Uſque Pirennæis demiſit montibus acres
Quingentos, duris adſueta laboribus olim
Pectora; nempe illos eduxit Carolus, inde

Et Lodoix Mauros contra cum caſtra moveret,
Caſtra quibus victor flumen prospexit Iberum;
Totque erecta pius proſtravit cornua Lunæ
Turribus ab celſis; afris atque oppida centum
Eripiens, populos in priſtina jura reduxit.
Ingens ardor agit cunctos: nil vulnera curant,
Per quæ profuſo pertentant ſanguine mortem
Eximiam, plenum credunt quam ex hoſte triumphum.
His auxit turbis acies Bernardus, ab urbe
Principe collectas, et terris pluribus, ejus
Imperio nuper ſubjectis. Caſtra Miniſtri
Sacrorum, ſanctæ fidei quos excitat ardor,
Exemplo, verbis accendunt: longa viarum
Ne mora, conceptas hebetans in corpore vires,
Efficiat ſegnes ad pugnam. Tollitur alma
Teſſera Chriſtiadum Lunis infenſa Maconis
In quam proſpiciunt noſtri, viſuque vigorem
Concipiunt animis, cæleſte et pectore robur.
Adſunt et Comites Caſtellæ, in prælia vires,
Quantas quisque poteſt, ducens: ſors ultima namque
His rerum ſuadet, pugna non amplius una
Decerni; domini poſthac ſervine futuri
Sint Mauris. Latos ſpoliant cultoribus agros,
Civibus et viduant urbes: labor ultimus omnes
Evocat, et tantos conſtans ſpes armat in hoſtes.

Sunt numero pauci, numerum ſed vivida virtus
Auget, et in pugnis jam ſæpe exercita dextra.
Ductores acies totæ bis quinque ſequuntur
Longa ætate viros, primo qui ab flore juventæ
Adſueti duros Martis perferre labores,
Maurorumque dolos, artes et mille nocendi
Edocti bellorum uſu: bis quinque virorum
Quisque ducum centena regit; mixtusque cruento
Militibus bello emeritis modo lectus ad arma
Tyro ferox animis; uti ut virtute magiſtris
Sub gravibus diſcat, juſtæ quoque tempora pugnæ.
Agminibus ſtantes mediis panduntur ad auras
Subduntur quæ prona fero Caſtella Leoni.
His auctus turbis venientia caſtra Ramirus
Haud Arabum timuit, ſciret quanta agmina quamvis
Excierit regnis Abderramanus opimis,
Et quantum auxilium vicinis ducat ab Afris,
It mente, atque animis contra imperterritus; hoſtis
Occupat et terras, infert perque oppida paſſim
Terrorem, ſtragemque prius, quam Maurus inundet
Chriſtiadum terras, deturbet et omnia durus.
Audiit hæc Maurus; mentem pudor, iraque torquent
Vexari cum lata ſui confinia regni,
Inſultare videt gentem, quam deſpiciat, et quam
Crediderat ſolo ſtupefactam nomine tanti

Ho-

Hoſtis, ſe contra venientis; nilque timeri,
Contemni, vincique putat. Simul imperat omnes
Una acies montana petant, perque arva ferantur
Pinguia contra hoſtes; flammis, ferroque ttucident
Obvia quæque ſolo æquantes, hoſtesque requirant
Qua via ſit brevior; quemquam non ulla moretur
Segnities. Pleno terras ut flumen inundat
Gurgite, cum ripas, montanis imbribus auctum,
Exſuperat; flavas ſegetes ut corripit ardens,
Abſumitque datis vento vulcanus habenis,
Haud aliter peditum totas, equitumque phalangas
Immittamus, ait; ſternant et regna Ramiri
Urbibus et tectis ſpolient, et frondibus arva.
Inde jubet campos inter, quos Vallis oletum
Excolit hinc dextros, atque hinc Uxama ſiniſtros,
Extremos Occæ montes inquirere, fauces
Et latas, quas Calaguris, quas inclita Burgus
Oſtendunt longe: ſuperatis faucibus æquor
Ingens camporum, medium quod findit Iberus,
Deligit ad pugnam: tantum ſi pectore robur
Nutrit Iber, tentare velit certamine ſortem.
Sin minus, hoſtiles acies ubi quærere cumque
Conſtituit, fuerint, et res evertere fundo
Chriſtiadum interea totas, nec parcere victis.
  Motibus ab primis Arabum jam mente Ramirus
Con-

Conſilium, rerum prudens præviderat; arva
Proxima Logroni feſtinus cæperat urbi;
Legerat inque arvis caſtris loca celsa, propinquæ
Apta magis pugnæ. Vallis hic cinxerat, alta
Et foſſa ſpatium turbis mediocribus æquum;
Cum tandem monitus, Maurorum prima videri
Signa procul, totos turmis dein fervere campos,
Et pedites pronis deſcendere collibus: æthra
Siſtrorum, lituique ſonis horrescere, raucis
Barbaricis crebro confundi et vocibus audit.
Ductores Arabum campum ut videre patentem (g)
Et procul Heſperidum tumidi ſuper aggere collis
Caſtra

(g) *Uno in prælio debere decerni ſumma de re, noverat uterque Rex; cum ex illa victoria, ſi Mauris ceſſiſſet, dominatus Chriſtianorum omnis in Hispania eſſet extinguendus; ſin Hiſpanienſes de immenſis collectis viribus triumphaſſent, et omnem ſervitutis maculam delerent, et regni fines ultra protenderent. Efferebat ſpes Abderramano copiarum ſuarum conſpectus non magis, quam exiguus hoſtium numerus. In ſuperno auxilio primum, et in militum deinde ſuorum robore, pro vita, proque libertate pugnaturorum fiduciam omnem ſuam collocarat Ramirus. Quare ſi usquam alias, acriter erat utrimque pugnandum.*

Caſtra levi metata jugo: conſiſtere juſſis
Agminibus, fidos præmittunt, hoſtica valla
Qui explorent, viresque, quibus confiſſus Iberus
Audeat adverſas acies contemnere, capto
Stansque loco, validos metuat nil hoſtis adortus;
Cum totos videat compleri milite campos.
Inde locum ſignent, metari caſtra ſuorum
Agmina quo tuto poſſint. Ut nota Ramiri
Vis omnis, ſolis terdenis millibus, utque
Tentandam patuit pleno certamine ſortem
Poſtremam rerum, ducant cum millia centum
Ipſi multa ſuper: regi comperta reportant
Abderramano, certæ et dant pignora palmæ
Non jam ſolicito. Namque ut ſuper ardua collis
Sepoſitis curis, prædæ certusque quieſcit
Venator, poſtquam denſis aper improbus ultro
Conjecit ſeſe ſylvis, indagine cinxit
Quas tereti, firmaque citus, quaque exitus omnis
Clauditur, et circum vigilat venatica fidum
Turba canum, in quæcumque ſagax tentamina prædæ.
Haud aliter Maurus; poſtquam ſua caſtra Ramirum
Cognovit valida valli cinxiſſe corona,
Jam captum credit; nec enim tentare receſſum
Audebit tantis cinctus circum undique turmis;
Hoſtes nec ferri contra, viresque ſuperbas

Viri-

Viribus imparibus, plenaque laceſſere pugna.
  Abderramanus metari caſtra Ramiri
Circum ſepta jubet; denſa concludere Iberum
Obſidione parans; aditu nam captus ab omni
Concidet, aut rabido victus fervore bibendi,
Vexatusve fame, totis quæ ſæviet atrox
Agminibus, paulum dedi ſi differat, arma
Ni cito deponat, tales quæ nullius hoſtes
Sunt usus contra. Figunt tentoria Mauri
Certatim, rumpuntque moras; mox æquore toto
Creſcentis fulgent argentea cornua Lunæ.
  Jamque acies Arabum ſolers compleverat ingens
Claudendi hoſtis opus; certa ſpe turgidus Afer
Noſtris inſultans, feſtivis vocibus auras,
Horrendisque replet campi clamoribus æquor,
Exultatque animis; ut præda victor opima
Exultat capta, partes cum ſolvit in æquas
Exuvias ſociis, et juſto munere donat.
Inde moræ longæ impatiens exercitus omnis
Orabat duci contra hoſtes; rite vocatas
Cum Abderramanus promptis in prælia turbas
Eſſe jubens animis, telis, gladiisque paratis
Poſtremum adloquitur, paucis inflammat in hoſtes.
  Quod ſors nulla dedit noſtris majoribus, id nunc
Arridens, et fauſta magis fortuna reportat;
Edomi-

Edomitæ Heſperiæ manet illos gloria; nobis
Heſperii extincti laus ingens nominis: ulli
Anceps eſſe poteſt pugnæ nunc exitus! Ecce
Heſperios, uni quorum nos quinque cuique
Objectare pari, majori et robore dextræ
Poſſumus inſtructos, artis, bellique peritos.
Craſtina lux ergo (ſcio quæ mihi grandia fata
Dicta) dabit victos, et noſtris ſubdet Iberos
Imperiis, quicumque jugum excuſſere Maconis,
Relliquiasve leves aſpris in montibus olim
Servarunt, regni tenuere et inutile nomen.
Ite; prius roſeis quam Phæbus ſurgat ab undis
Educat caſtris delectos quisque maniplos,
Subque ſuis cogat ſignis de more, ferantur
Ordine partiti juſto; turmasque Ramiri
Ad pugnam cogant æquo ſe credere campo;
Vel ſi vallorum ſeptis, caſtrisque tueri
Poſſe putant acies, et vim contemnere tantam
Hoſtilem contra venientem; firmius arcta
Obſidione premant, infeſtent ignibus, armis
Undique miſſilibus, crebrisque aggreſſibus inſtent
Absque mora, nulli detur brevis hora quieti,
Ab fractis dextræ donec tendantur inermes.
Ergo vix primo ſpargebat lumine terras
Orta dies, arabum caſtris cum lætus ad auras

Sublatus lituumque ſonus, clangorque tubarum,
Concentu et vario monuerunt tympana turmas
Arma manu capienda cità; certamine ſortem
Poſtremam Martis tentandam. Caſtra relinquit
Agminibus primum mixtis equitatus, in alas
Scindendus geminas, latos ubi cetera pubes
Implerit peditum lectos ad prælia campos.
Procedunt deni; terrorem fronte feroci
Injiciunt, haſtasve graves, gladiumve recurvum
Portendunt dextris, ſpecies teterrima viſu,
Quæque replet ſævæ mentem formidine cladis.
  Audierat ſonitumque tubæ, ſtrepitumque Ramirus
Siſtrorum, Mauros totis erumpere caſtris
Viderat, et latis turmas diffundier agris
Se contra, pedites, equitum denſasque phalangas
Pone ſequi ſenſim. Sociis jubet eſſe paratis
Ad pugnas armis; collectos aggere ab alto
Adloquitur, verbis accendit, pectora firmat
Spe, quam corde fovet, multa. Tendamus in hoſtes
Nos contra, dixit, venientes: agmina Maurus
Noſtra venire ſibi ſtupeat nunc obvia; jactet
Cum numerum tanto majorem, noſtraque temnat
Caſtra tumens multis Afrorum millibus. Ingens
Robur in exiguis apparens hoſtibus, acres
Conatus quoties fregit? Contempta nec umquam

Parva

Parva impune fuit virtus. Spes noſtra ſuperno
Nititur auxilio. Summo mortalia cælo
Cuncta regens, cauſam cujus defendimus, æque
In multis, paucisve poteſt ſalvare; triumphus
Illius ab nutu, non multo ab milite pendet.
Auxilio hoc fretus venientibus obvius ire
Hoſtibus haud timeo, numero licet impare, ducam
Vos alacres, promptos animis ad utrumque paratis;
Scilicet ad palmam, vel quæ eſt par gloria palmæ,
Illuſtrem ad mortem. Caſtrorum cura ſagaci
Interea Comiti Urgelli committitur, ipſe
Hæc loca delecto ſervabit milite nobis.
Quisque Dei nunc, quisque memor patriæque, ſuique
Irruat in Mauros fidens. Sic fatus in altum
Liberat ereptum vaginaque extulit enſem.
Exarſit tunc fronte color; videre cohortes
Ore coruſcantes flammas, oculisque vomentem.
Erumpunt caſtris, rectaque feruntur in hoſtes
Caſtellæ primum Comites, quos agmen equeſtre
Hinc, atque hinc cingit, pugnas ineuntque, priusquam
Quisque ſuas acies inſtruxerit ordine; Mauris
Id prohibet raptim veniens exercitus hoſtis;
Ardor huic pugnæ: numerus Maurum impedit ingens;

Flamma

Digitized by Google

Flamma moræ impatiens contra rapit acris Iberos. (h)
Surgit atrox prælium: pugnatur et ordine cæco,
Succedant quamvis acies, nova et agmina pugnæ.
Namque ut præcipiti curſu, rapidique feruntur
Qui rivi, fluviique Padum leni agmine nuper
Ingreſſi undantem confundunt fluctibus undas:
Haud aliter turmæ venientes, agmina poſtquam
Pugnantum tetigere, furunt; raptimque trahuntur,
Et tractæ celerant motus, augentque furorem.
Non jam miſſilibus, nec jam decernitur haſtis;
Armat mucro manus, mixtis denſusque viro vir
Ordini-

(*h*) *Primum prælium pugnatum eſt cæco utrimque furore, nullo proinde ordine; nam aggredientium Maurorum ingens numerus et multitudo noſtrates undique opprimebat, et noſtri minus quam præſens neceſſitas poſtulabat, bellicæ diſciplinæ adſueti, difficile, et vix umquam ab ducibus continebantur, ne temere ab pugnandi ardore raperentur. Hinc clades noſtratium præcipue profecta eſt, hoſtium longe ſane major; at pro numero tanto etiam majore, dolenda minus. Opportune nox adveniens finem impoſuit pugnæ, et utrumque exercitum ad caſtra compulit, relictis agris multo ſanguine, et confuſa interfectorum ſtrage obductis.*

Digitized by Google

Ordinibus pugnat. Quas ſtrages Innicus acer,
Aznarus pugnax, dederint quot corpora letho
Bernardus, fortisque Comes, quem mille ſequuntur
Caſtellæ populi? quot funera ſæva Ramirus
Ediderit, quales Arabes demiſerit orco?
Scire vetat ratio pugnandi cæca, nec alter
Alterius fera facta ducis, dextræque vigorem
Mirari potuit; cum telis undique cinctus
Infenſis; oculos, mentem tunc quisque teneret
Præſenti fato intentos, vitæque tuendæ.
Quod virtus, mentisque poteſt quod robur in armis,
Accenſum patriæ, prolis, ſeu laudis amore;
Sive quid eſt aliud ſtimulis mortalia duris
Solicitet quod corda magis; præſtabat Iberus
Acer, et undantes communis ſanguine campos,
Confuſæ et quamvis cernebat cædis acervos,
Hærebatque pedum dubitans veſtigia poſſet
Figere tot cæſos inter; tamen hoſtibus enſe
Inſtabat, rorans et multo ſanguine, pugna
Non diſceſſiſſet, Phæbus niſi proximus undis
Occiduis, nebula terras prius, inde tenebris
Nocturnis cælum condens, rapuiſſet utrique
Ex oculis hoſtes. Seſe in ſua quisque recepit
Caſtra, nec inſignis cui tunc victoria Regi
Contigerit, notum. Collectis omnibus acri

Ex

Ex pugna ſociis ſalvis, cognovit uterque
Ingentem ſtragem, damnum doluitque ſuorum.
  Abderramanus ſtupuit cum funera novit
Ex ducibus, quantasque acies certamine in uno
Abſtulerat Martis furor igneus; hoſtibus autem
Eſſe parem illatam cladem dum credit, acerbo
Corda dolore levat : pugnantum dein ſibi noſcit
Eſſe ſuper numerum, turmas, aciesque Ramiri
Qui longe ſuperat. Curent ut corpora, vires
Et victu, et ſomno revocent indicit, et arma
In pugnas invicta parent, concurrere quando
Contra hoſtes ſtatuit, tenebris ubi prima fugatis,
Aurora in roſeis fulgebit lutea bigis,
Relliquiasque gravi ferro proſternere Iberas.
  At non ſors eadem, nec par fortuna Ramiri
Solicitat mentem. Mauros ſcit clade cruenta
Affectos; cecidiſſe ducum certamine plures
Non dubitat; raras Arabum, ſtratasque phalangas
Agnovit, rapido curſu cum fervidus hoſtes
Per medios ferretur ovans, gladioque cohortes
Fulmineo, quadrupes ferratis calcibus ardens
Sterneret oppoſitas acies: Sed et agmina cernit
Eſſe ſuis detracta nimis, numerumque minorem
Vis inimica licet telis abſumpſerit; ingens,
Exiguum ob numerum, dammum fuit. Ante mederi

Qua poſſit paſſæ jacturæ, cum mora noctis
(Præterea nullum ſit tempus) ſola ſuperſit;
Dum tacitus ſecum volvit, dans feſſa quieti
Membra; videt clauſas omnes virtutis, et artis
Eſſe vias: nunc humanis fiducia rebus
Quæ ſit habenda putans; magni promiſſa Jacobi
In mentem revocat. Rebus cum ſcilicet arctis
Circum armis cingi Maurorum videris, omnes
Defeciſſe tuas et ſpes, diſcrimine ſummo
Teque, tuosque, decus regni, ſceptrumque labare;
Pone metum, dixit; Mauris trepidum ipſe timorem
Injiciam, viresque tuis, animosque miniſtrans
Dux ego veſter ero, primusque in prælia curram.
Hæc ſecum memorans, animo ſpes ſurgere dulces
Senſit, et ingentes ſenſim miteſcere curas.
Ut demum ceſſit menti, pulsusque parumper
Corde dolor triſti: ceſſerunt membra quieti
Feſſa gravi, curæque ſimul ſiluere prementes.
Jam primus feſſos ſomnus reparaverat artus;
Ignoti nova forma viri cum adſtare jacenti
Viſa ſibi, vultu placido; ſub fronte ſerena
Flammivomi fulgent oculi; micat igneus olli
Ore, genisque color; brevis et velabat amictus
Purpureus latos humeros, conchilia plura
Ordine quem vario diſtingunt candida; circum

Et

Et pileum cingunt eadem: fert dextera nodis
Diſtinctum multis baculum, peregrinus ut oras
Longinquas penetrare ſolet, ſedesque remotas.
Tum ſic affari, et curas his demere dictis.
Parce metu, nunc tempus adeſt, hæc hora, Ramire,
Quam mea turbato quondam promiſſa ferebant
Magna tibi: denſo circum tu urgeris ab hoſte;
Nec ſpes ulla fugæ: caſtris nec ſiſtere longum
Hoſtis, vel rerum veniens patietur egeſtas.
Sic deſperatis rebus veniſſe videbis
Clarius ab nobis devicto ex hoſte triumphum,
Nulla tibi virtus pugnantum, nulla poteſtas
Quem terrena dabit. Me Mauros, me duce vinces.
Surge, ducesque tuos venturæ pignora palmæ
Edoctos, certo ſocios fac robore firment
Ad pugnam, penitus vires quæ proteret Afras.
Tuque, prius noctis quam cælo aurora tenebras
Diſpulerit, turmas animis, animisque paratas
Eſſe jube: primoque polum cum lumine Titan
Induet; in Mauros totis concurre paventes
Viribus, et referes plenos ex hoſte triumphos.
Hæc dicens tenues evaſit vultus in auras.
Rex ſomno excutitur; ſpes imo pectore ſentit
Ingentes naſci: ducibus, primisque Miniſtris
Sacrorum quæ viſa refert; promiſſa renarrat

Quæ quondam jucunda dedit, rurſusque novavit
Delapſus cælo nocte inclinante, Jacobus.
Aſſenſere duces omnes; omenque ſecundum (i)
Excepere, fides verbis eſt addita Regis
Plena; vocant ſocios, implent firmaque beatæ
Spe fortis, palmæque citæ, cladisque ſupremæ
Mauri, quem victum, profligatumque videbunt.
Interea in caſtris Mauros certiſſimus implet
Nuntius, Abderramano Regique tumultum
Haud expectatum retulit: per caſtra Ramiri
Auditos motus ingentes, ordine turbas
Inſtructas, acies armatas, ſigna videri
Jam procul, et raras interlucere tenebras:
Improviſi aderunt hoſtes; cum ſcilicet omnes
Intenti ſolum ſpectent ad prælia ſignum.
Obſtupuit Maurus, tantum quod roboris eſſet

In

(i) Rectiſſime adnotarunt Scriptores, etiam exteri, adeo perſpectam fuiſſe toti exercitui Ramiri Regis probitatem, fidemque incorruptam, ut nemo dubitaverit, quin veriſſima eſſent quæ ipſe de Jacobo Apoſtolo referebat. Quare accenſi ſunt omnes novo, ac invicto pugnandi ardore, quamvis vires ſuas ſuperiori prælio admodum imminutas viderent.

In turmis, penitus fractas quas Marte cruento
Crediderat, numero exiguas. Jubet arma parari
Protinus, et totas acies educere caſtris
Heſperios contra; ſive iſti in prælia currant,
Sive fugam tentent falsa ſub imagine pugnæ,
Quod potius credit, certo cenſetque futurum.
Vix roſeo Phæbus ſpargebat lumine montes,
Cum caſtris acies immitti in tela petentes
Acriter eduxit juſto, inſtruxitque Ramirus
Ordine contra hoſtes: hortatur clara ducisque
Quemque exempla ſequi, certum et ſperare triumphum.
Divertunt acies, æquor campique ſiniſtrum
Molle petunt, dextrum fugiunt, quod corpora paſſim
Fuſa tegunt, heſterna dedit quæ plurima letho
Pugna, cruor multus quod jam concretus inundat.
Segnior haud Maurus, caſtris bipatentibus, hoſtes
Ire ſuos contra, peterent quocumque, jubebat;
Edicens, nulli parcendum: tempus adeſſe,
Quo miseræ penitus regni perdantur Iberi
Relliquiæ, quas ſola dedit nox funere ſalvas.
Procedunt alacres; ſtrepitus comitatur euntes
Siſtrorum, lituique cavi, cornuque recurvi;
Barbarico hos ſonitu; ipſi de more ſequuntur
Jactis aſtra ſuper crebris ululatibus, omnes
Queis circum montes, sylvæ et tremuere profundæ,

At non Heſperiis ceſſit fiducia cordi,
Turbative animi, quamvis vaſti æquora campi
Occupat inſultans hoſtis, numerumque ſuorum
Exiguum cernant. Acies vix ordine primæ
Conſtiterant Arabum; cum noſtri more leonum
Molle pecus contra, timidos damasve ruentum,
Infeſtis haſtis, ſtrictis gladiisve feruntur
Impavidi contra Mauros formidine captos
Ingenti, tantos animos, et robur Iberis
Dum ſupereſſe vident: volucres non promptius auras
Percurrit fulmen vibratum ab nubibus atris,
Quam turmæ, forteſque duces, Princepsque Ramirus
Pervadunt, ſternuntque acies, dant integra letho
Agmina Maurorum. Bacchatur et æquore toto
Abderramanus compellans vocibus hos nunc,
Nunc illos clamore Duces, hortansque labantes
Suſtineant acies, donec vis omnis in unum
Conatum collecta ruat ſuper agmen Iberum.
Nec vox vana fuit. Collatis viribus omnis
In noſtrum currebat atrox exercitus agmen,
Excidium, ſtragemque ferens, plenamque ruinam;
Albo vectus equo turmis cum viſus utrisque (k)
Enſe

(k) *Hanc Jacobi Apparitionem celebrat quotannis Eccleſia*

Enſe micans valido, niveum ſignumque Jacobus
Attollens: medio ſigno crux ignea fulget;
Ipſe oculis flammas ſpirat, tum fronte minaci
Terrorem ingeminat Mauris, ſternitque furentes
Enſe, et equo turmas. Tali ſpes addita viſu
Ardens Heſperiis; capti formidine Mauri,
Turbatique gravi: plena quos clade ſequuntur
Hiſpani, ſtragique manus non ſufficit, ictu
Quantumvis celeri nunc hos, nunc percutit illos:
Innicus Abdallum telo transfixit acuto,
Se contra gladio venientem: ferreus illi
Profuit haud thorax ruituro, aut æreus umbo
Cantabricum contra telum; trajecit eodem
Et clypeum, et pectus ferrato robore; ab alto
Vulnere nec ferrum prudens retraxit adactum:
Enſe ſed inſurgens valido venit obvius acri
Acer Abengamio ſurgenti in vulnus, eique
Comi-

cleſia Hiſpanienſis die 23. Maji, grataque recordatione commemorat beneficium, cui reſpondere ſtudet et inſtituto feſto die, et pro infami tributo extincto, perpetuo vectigali, quo ſe ſub Patrocinio Magni Apoſtoli Jacobi ab imminenti exitio ſalvam, et inſignem de hoſtibus victoriam reportaſſe profitetur.

Cominus infenſum confixit in inguine ferrum.
Sternitur effundens roſeum de vulnere flumen,
Alavicinorum et moriens reminiſcitur ortum,
Alcamam Bernardus ovans, Haliumque Gherardus,
Alcamarum lethi tenebris demiſit Aragus
Aznarus ſubita turbatum ſtrage; ſub armis
Et comitis cecidit Caſtellæ Alzamus, in hoſtes
Siſtere dum ſocios conatur: concidit acri
Almenon cedens virtuti. Cæſa jacebant,
Et revoluta ſimul pugnantum corpora ſtratis
Corporibus, truncis et membris quadrupedantum;
Semianimesque gravi compreſſi mole ruentum
Proxima terrifico complebant æthera luctu;
Cum procul agnovit confuſa in clade furentem
Abderramanum, turbatum et mente Ramirus,
Ancipitemque, fugæ vitam committeret, hoſtes
Agmina ſeu potius tentaret ſiſtere contra,
Fracta metu, ferro, et vultu protrita Jacobi.
Agnovit; convertit equum, gladioque coruſco
Evolat in Maurum regem; propiusque; tributum
En, ait, ipſe fero, belli quod jure petiſti.
Dixit, et ardentes pronus pendebat in ictus:
Cum Abderramanus ferrata calce fatigans
Quadrupedem, cæſorum ingentes inter acervos
Tranſiliens curſu, ferrum, mortemque minantem

Cona-

Conatur trepidans evadere; fortius inſtat
Enſe Ramirus, ei vulnus, lethumque reportans
Jam certum. Tunc Muza ſenex, Mahomadus et aſper
Ut videre procul quanto in diſcrimine Regis
Abderramani verſetur vita, ferocem
Quisque premens immittit equum, mediusque Ramirum
Inter, et ab letho fugientem præpete curſu
Abderramanum conſiſtens, fulmen Iberum
Jam percuſſurum tenuit, contraque Ramirum
Ambo inſurgentes, dum curas illius omnes
In capitis revocant proprii tutamen, habenis
Aufugit immiſſis Abderramanus. Iniquo
Corde tulit laudem raptam, Regemque Ramirus
Ereptum telis, plenumque ex hoſte triumphum
Occiſi, capti vel regis honore carere,
Acer in audaces exarſit; Vos mihi, dicens,
Vos mihi communi ſolvetis ſanguine pænas,
Crimen et unius fugientis victima duplex
Abſterget. Fatus: ferratam corripit haſtam
Fervidus, et contra Mahomadum tendit, ab alto
Percuſſum dejecit equo; Muzæque deinde
Cunctanti, ſenioque gravi, fractoque labore
Sanguine rorantem capulo tenus abdidit enſem.
Sic ſexaginta Maurorum millibus amplo
Æquore proſtratis campi, vinctoque catenis
Capti-

Captivo multo, properant dum cetera vitam
Arrepta ſervare fuga ſtrata agmina, campis
Conſiſtens mediis, cæſſorum et cinctus acervis
Extulit ad ſuperos enſem, magnaque Ramirus
Victorem dici juſſit ter voce Jacobum.

*

Hæc ſuper extincto, Maurorum clade, tributo
Infami cecini ſcultennæ ad fluminis undas,
Conventu in magno Procerum cum Mantua noſtra,
CAROLE, Te Regem, Reginam ALOYSIA, Teque
FERDINANDE piæ gentis Spes altera, juſtis
Plauſibus ad Cælum, meritoque efferret honore.

FINIS.

APPENDIX.

ARguuntur Majores noſtri, vetuſtiores præcipue, ab exteris nonnullis, quod cum multa ipſi, ac præclara terra, marique geſſerint, eadem poſterorum memoriæ mandare neglexerint: cumque in agendo ſtrenui, ac ſolliciti extiterint; in conſervanda litteris, tuendaque gloria ex iisdem rebus geſtis profectà adeo fuerint negligentes. Id ab exteris, qui mitioris ſunt ingenii, contemptui gloriæ in poſteros traducendæ adſcribitur, et quod noſtrates quo ſunt ad agendum illuſtria promptiores, eo ſint minus avidi laudis, quam immortalem reddere jure poſſent. Aſt alii non ita mites id ipſum faſtui tribuunt, et exiſtimant, noſtrates rebus præclare geſtis, et intra Regnorum fines circumſcriptis contentos, nullo loco habere exterarum nationum judicium, commendationemque, quam certe obtinerent maximam, ſi res eædem geſtæ litteris mandatæ univerſis gentibus traderentur. Quanti utrorumque judicium, quo ex æquo rea ſilentii ſit Hiſpania, pendendum ſit, minime curo; nec vacat. Id maxime miror, ipſum ſilentium, cujus majores noſtri rei arguuntur, eſſe aliis ſcriptoribus unicum argumentum, quo tuto ſe, atque invicte proſternere poſſe arbitrantur traditas veritates, longa, conſtantiſſimaque ſæculorum conſenſione corroboratas.

Quod

Quod minus moleſte ferrem, ſi ab aliquo externo dumtaxat ſcriptore fieri viderem: at dolendum eſt profecto, eandem argumentandi, differendique rationem ab quibusdam ex noſtris modo uſurpari, qui quantum ingenio, et doctrina valent, id totum conferre debuiſſent ad diluendum ſilentii crimen noſtratibus ab exteris ſcriptoribus inuſtum, probandumque, fuiſſe majores noſtros diligentiſſimos in ſcribendis, conſervandisque, quæ ab ipſis gerebantur glorioſe. Quod ſi præſtarent, quam fortaſſe amant, doctrinæ laudem facile, uberiusque conſequerentur, et patriæ debitum officium reddidiſſe exiſtimarentur. Sin iſtud confirmare arduum ipſis accidit, ac prope impoſſibile; deſinant ſilentio vti ad imminuendam veram Hiſpaniæ gloriam; et fateantur eſſe Traditiones, ex quibus veritas non minus pura, quam ex ſcriptis libris eruatur.

ERRATA RRÆCIPUA	CORRIGE
Pag. 10. in calce uſn tu	uſu ut
12. v. 191 pluribas	pluribus
31. lin 11. tempoeibus	temporibus
33. v. 15. vocare	vocari
34. v. 46. patria	patriæ
40. v. 27. miſſis, ventis	miſſi venti
42. v. 280. victores	victrices
51. v. 459. corde	cordi
It. v. 477. proceros	proceres
56. v. 34. Alpouſus	Alphonſus
63. v. 84. Fulmine	Flumine
69. v. 75. decuit	docuit
It. v. 288. Jeſus	Jeſu
71. v. 305. pupulis	populis
84. v. 130. his	hoc
96. v. 443. rapidiet	rapidi et
104. v. 96. in au	in aula
131. v. 142. deſpiciat	deſpicit

MAG 2012273

Digitized by Google

Die 5. Auguſti 1789.

I M P R I M A T U R

Fr. V. A. Cavalloni Vic. Gen. S. O. Ferrariæ

Die 12. Auguſti 1789.

I M P R I M A T U R

Ferrantes Compagnoni Vicarius Generalis.